






Digitized by the Internet Archive  
in 2017 with funding from  
Getty Research Institute

<https://archive.org/details/elogiaabbatvmsac00scip>



*Ms. A. 9. 1. fol. 10*

ELOGIA  
ABBATVM  
SACRI MONASTERII  
CASINATIS.



ELOGIA  
ABBATVM  
SACRI  
Monasterij Casinensis  
AD R<sup>um</sup> PATREM  
D. SIMPLICIVM  
CAFFARELLVM  
Congregationis Casinensis Præsi-  
dem Generalem  
AVC TORE  
P.D. MARCO ANTONIO  
SCIPIONE PLACENTINO  
Eiusdem Congregationis  
Monach<sup>o</sup>

Imperiorum

Napoli apud Octavium Beltranū  
Anno 1630.

Pennissu

Douay. B. Vittorini de Neapol  
iugnus







# SIMPLICIVS CAFFARELLVS

NUPER CASINATIS COENOBII ABBAS,  
TEMPLO MAGNIFICENTISSIME EXORNATO,  
SACRA SVPELECTILE INSIGNITER LOCVPLETATA,  
MVLTIS AEDIFICIIS AD VSVM, ET SPECIEM,  
VEL INSTAVRATIS, VEL ADDITIS.  
RE FAMILIARI MELIOREM IN STATVM RESTITVTA.  
REVOCATO IN ANTIQVM SPLENDOREM,  
PENE IAM ANTIQVATO CLARISSIMI COENOBII SPLENDORE,  
IMMORTALE SIBI NOMEN COMPARAVIT,  
VT CASINATIS FAMILIAE ALVMNI,  
QVOTIES MAIORVM SVORVM PRECLARE GESTA CONTEMPLANTVR,  
IPSOSMET IN SIMPLICIO VIVENTE REDIVIVOS AGNOSCANT:  
QVOTIES SIMPLICII PRAESENTIS EGREGIA FACINORA REVOLVVNT,  
IPSVMMET STATVANT PRAETERITOS INTER HEROAS STATVENDVM.  
NVPERRIME SOLEMNIBVS SVI ORDINIS COMITIS,  
VNANIMI PATRVM CONSENSV, AC VOTO  
TOTIVS ORDINIS PATER EST RENVNCIATVS.  
CELERI IAM VIRTUTIS, AC MERITORVM CVRSV,  
AD SVPREMAE INTER SVOS DIGNITATIS IANVAM PRAEVOLARAT,  
SED INGRESSV PAVLisper SVPERSESTIT,  
DVM SPLENDIDIOR INGRESSVS ADORNARETVR:  
ITA DILATVS HONOR, HONOREM ILLI MERIFICE DILATAVIT.  
OCCVLT A RECTORVM SVFFRAGIA,  
APERTAE SVBDITORVM ACCLAMATIONES,  
SIMPLICIVM PRAESIDEM ELEGERVNT, APPROBARVNT;

PRV-

PRUDENTI ELECTIONI LAETAE VOCES SVNT SVFFRAGATAE,  
LAETIS VOCIBVS PRVDENS ELECTIO ACCLAMAVIT.

DVMQVE OMNES INVICEM OMNIBVS,  
ET IPSI PRAEFECTVRAE PRAEFECTVM GRATVLANTVR,  
REIPVBLCAE MAGIS, QVAM IPSI RECTORI CONSULTVM OSTENDVNT.  
HIC ENIM MAIOREM, QVAM ACCEPERIT, HONOREM PROMERETVR;  
ILLA, QVOD AVEAT, HOC DONATA MODERATORE, NON HABET.  
NEQVE TAMEN RELIGIOSISSIMO PRAESIDI MINVS EVENIT BENE,  
QVAM IPSI EVENERIT RELIGIONI:  
CVIVS COMMODA DVM PROMOVET,  
CVIVS HONORI DVM INSERVIT,  
COMMODISSIME SECVM AGI, ET HONESTISSIME ARBITRATVR.





**OS D.SIMPLICIVS CAFFARELLVS**  
Congregationis Casinensis humilis Praesidens,  
eg Abbas Sancti Seuerini de Neapoli, tibi Pa-  
ter D. Marce Antoni Scipio, facultatem con-  
cedimus, in lucem emitendi Elogia Abbatum  
Sacri Casinatis Monasterij: cum duo nostræ  
Congregationis Theologi, quibus examinanda  
commissa sunt à nostro Generali Capitulo, nobis retulerint, posse tutò  
euulgari. In quorum fidem has præsentes, manu nostra subscriptas,  
nostro sigillo muniri mandauiimus. Dat. in Monasterio nostro San-  
cti Seuerini de Neapoli die 20. Mensis Octobris ann. 1629.

**D. SIMPLICIVS PRAESES GENERALIS.**

Ex mandato Illustrissimi, & Reuerendiss. Dñi mei  
D. FRANCISCI S. R. E: CARDINALIS  
BONCOMPAGNI,  
ARCHIEP. NEAP.

**E**go Felix de Iannario S.T. Magister, Elogia Sacri Ca-  
sinatis Monasterij Abbatum (Opus Patris D. Mar-  
ci Antonij Scipionis Placentini) non solum legi, sed  
magna etiam cum voluptate legi, ob rerum præclarissi-  
marum, quibus referta sunt, varietatem, & copiam;  
tum propter dicendi genus comptum, & elegans, sed sine fuso, & ca-  
lamistris, quo Author Maiorum suorum sinceram sanctitatem, &  
mores candidissimos, miro styli nitore, mira puritate orationis exor-  
nat; denique hoc etiam percurri libentius, quod in ijs nihil ferè con-  
tineatur, quod egomet in Casinati Coenobio diù moratus, oculis,  
atque auribus non perceperim. Censeo igitur dignissimum esse hunc  
librum, qui typis euulgetur, cum nibil habeat, quod recte fidei, vel  
bonis moribus aduersetur, multa, quæ ad ingenuam oblectationem,  
plura, quæ ad virtutem, & sanctimoniam conferant plurimum.  
Dat. Neap. Kal. Nouembris. 1629.

Felix de Iannario S.T. Magister Deput.

Imprimatur.

I. Terragnolus Vicarius Generalis.

REVERENDISSIMO PATRI D.

# SIMPLICIO CAFFARELLO CASINATIS CONGREGATIONIS PRÆSIDI GENERALI.

D. MARCVS ANTONIVS SCIPIO  
*Felicitatem.*



NT E G R V M mihi non fuit (Reverendissime Præsul) alterum quempiam diligere: cui hæc Sacri Cœnobij Casinatis Abbatum Elogia dicarem. Tua invitatus authoritate ad scribendum, tua compellor ad inscribendum facilitate. Quin omnes Casinatis Domus Præfetti suo efflagitant iure, ut hoc opus eius nomine insignitum publicè committatur luci: cuius ipsi opera, & sedulitate denuò restituuntur in lucem. Postremò, vel silentibus cunctis, muti tamen parietes, quos apud Casinum excitaſti, per se quodammodo loquuntur, meque admonent, rudiori huic, atque impolito mearum lucubrationum libro, decus aliquod, & ornamentum non aliunde conquiram, quam vnde ipsi eximium nitorem, atque elegantiam accepere. Ac per te quidem Aedi Sacræ tantū splendoris, atq; ornamenti ac-

ti

cessit; ut quingentos post annos alterū in Simplicio Desiderium naēta, nunc demum antiquam Casinatis Basilicæ referat Maiestatem. Scimus illā à Desiderio magnificen-  
tissimè olim fuisse extructam, aureis Cœnobij temporibus : nunc à te miramur, hoc ferreo seculo , tām opulen-  
ter, ac splendidè fuisse ornatam : vt Templū qui videt,  
vel priscas Monasterij opes incolumes arbitretur, vel ani-  
mum in te diuinet , priscorum magnanimitate superio-  
rem , qui paria cum illis , in tām dispari fortuna præsti-  
tisti . Et Hæc quæ à te ipso vt magna sint, habeo tamen  
in te maiora , quæ commendem impensius, ac suspiciam;  
sed suspēdo calamum , ne in tuas laudes excurrens, in tui  
quoque pudoris , ac verecundiæ offenditionem incurrat.  
Deum potius enixè precor , diù te saluum, atque incolu-  
mem seruet: vt cui dedit salutaria, & honorifica in com-  
mune bonum velle, ac moliri, eidem quoque ne deneget  
larga viuendi spatia ad perficiendum . Vale . Neapoli  
ex inclyto Diui Seuerini Cœnobia . Ann. MDCXXX.  
Kal. Februarij .

ILLVSTRISSIMI COMITIS  
PAVLI RVBEI PLACENTINI,  
*EPIGRAMMA.*


A D

P. D. MARCVM ANTONIVM SCIPIO NEM  
PLACENTINVM  
Monachum Casinensem.

**D**ISCOLOR ut varijs vestitur floribus hortus,  
Frigidaq; arboreis texitur umbra comis;  
Doctrinæ haud aliter viridaria, consita Musis,  
Mentibus iniecit sacra Minerua tuis.

Explicat hic morum candor noua lilia mente,  
Hic noua virtutum serta Thalia ligat.


Tempora si crebris studijs argentea fient,  
Aurea tum docta pagina mente fluet.



ALIVD EIVSDEM  
AD EVNDEM  
CELEBRIORVM SVÆ FAMILIÆ HEROVM  
ELOGIA CONSCRIBENTEM.



**V**M premis ipse manum calamo, mentemq; labore,  
Nobile tunc animæ surgit ad astraiubar.  
Discat ut a superis, quæ chartis digerat, illis  
Vndeque sit terris quò mage certa fides.  
Heroas celebrans, fistu quoque maximus Heros,  
Et tacitus caneris, dum pia gesta canis.  
Dum Mundo Heroum, tua fama excurrit ad astra;  
Hi terris, Cælo tu mage notus eris.



AD

# AD L E C T O R E M :



À SINATIS Sodalitij Abbatum scripturus Elogia ( Lector beneuole ) non possum de sacro, maximèq; celebri domicilio pauca quædam scitu pernecesaria non præfari . Quorū scilicet ignorantie parum assequerere , quæ toto hoc libello traduntur , & eruditæ cuiusdam voluptatis iacturam faceres , quam(nisi fallor) eorum quæ subiicie- mus breuis, ac distincta enarratio præstiterit . Ac primo quidem admonendus mihi es , tametsi plurimi, grauissimiq; Authores de clarissima Domo , eiusque Præfectis accurate, ac luculenter perscripserunt : Nos tamen ple- raq; omnia ab ipso met fonte (vetustissimo scilicet, sūmæq; authoritatis, ac nominis Casinati Tabulario) desumpsis- se ; Cum ferè videamus suæ quemq; Vrbis , ac familiæ res proprias melius, ac certius recensere solitum , quām externos, præsertim si ad veritatem adstruendam indu- bitatæ fidei tabulis non careat; cuiusmodi nos abundare nemo rerū paulò peritior inficias ierit. Quòd si aliquorū Præsulū non nisi per pauca, quorundā autē nuda dūtaxat nomina in nostris Elogijs referuntur; id scitò euenisse, tū quia multis scripturarū monumentis destituti ( quæ alia alijs casibus tā longo tépore exciderunt ) pauciora ma- luimus , quā parū certæ, minusq; exploratæ fidei in me- dium afferre : Tum quia perbreuis multorum, seu vitæ, seu administrationis cursus( ab anno præsertim superio- ris seculi quarto, ex quo tépore nemini apud Casinū quin- quennio productior, pluribus angustior gubernatio con- tigit ) prolixiorc materia suppeditare non potuit ad scri-

A ben-

## ELOGIA ABBATVM

Perpetua  
Abbatū le-  
ties mille  
iam , ac cē-  
tum annos  
Casini per-  
durat .

bendum. Quod tamē satis esse non debuit, vt liber cōtra-  
ētiore titulo insc̄iberetur, vel parum fæcundi argumenti  
nomina expungēremus cū ceterorū Antistitū pars , aptē  
præfixā libro inscriptionē sibi vindicet, atq; abundē tuea-  
tur. Nobis verò dignissimū relatu ; scituq; visum sit, cen-  
tum, ac viginti octo Abbatum continentem seriem fuisse,  
quæ annos Mille, ac centum Casini perdurarit , hodieq;  
perduret . Quòd alteri prætereà cuiusbis Religiōsi Or-  
dinis Domicilio per totum Orbem Christianum conti-  
guisse, affirmare nō possumus . Nonnulla etiam, quæ ad  
historiæ lucem , vel ornatum facere videbantur , neque  
tamen satis commodè in vno aliquo Elogio propriū lo-  
cum , ac sedē sortiri , necessitatem īdixere, quasdam  
appendices; separatim ab Elogijs conficiendi , quibus ea  
ipsa includeremus , quæ minimè omittenda arbitrabā-  
mur. De stylō non est cur veniam deprecer, cum elatio-  
ri, ac subobscuro spontē infensor, hunc, qualis qualis est,  
dicendi characterem de industria sim secutus . Illud po-  
tius mihi condones velim ( quod parum abfuit quin me  
quoque offendere aliquando) si plura sæpiissimē ijsdem  
penē verbis repetita occurrerint : Nam neque ea ipsa  
subticere licuit , neq; porrò concessum, diuersis semper  
dicendi formulis efferre . Ceterum ad Casinatem Mon-  
tem , quod attinet , primò Regionem illius , ac situm ;  
deinde quo cultu, ac veneratione apud Antiquos fuerit ;  
tùm Diui Benedicti aduentu, sanctitate, doctrina qualis  
euaserit : posteā quis eius status per hosce dies: ad extre-  
mum , quænam eiusdem loci Abbatum dignitates , ac  
prærogatiæ . Nos claritati apprimè studentes , singula  
suis distincta Capitibus exequemur .

Mon-

*Montis Casinatis Regio, ac situs.*

## CAPVT I.



Nter cōfinia veteris Latij, eiusque Italiae partis, cui ab vbertate soli, cælique temperie, & rerum omnium diuite copia, felicis Campaniæ nomen est inditū, Mons Casinas ternis circiter passuum millibus leniter in altitudinem assurgit. Ab Septemtrione Montem Cairum spectat, Appēnini dorso impositum, & editissimo cacumine adiacētum fastigia superantem: Ab Oriente liberior locorum facies, & melior scena aperitur: Ad meridiem, & Occasum in subiectos campos, & depressioris fastigij Mōtes latissimè patens prospectus circunfertur. In ipso Casini vertice lætasse expādit planities, multa vite, ficu, oliua, alijsque pomiferis arboribus abūdans, & virentes sylvas, frondosaque. nemora, peramæno sinu complectens: At verò vniuersa Montis facies perēni fruticū viriditate, crudo, lapidoſoq; è solo emergentium pīcturata, gratissimo ad intuēdum spectaculo enitescit: Ad Montis radices Orientem versus, gelidi erumpunt fontes, qui per diffusam latē planitiē multiplici lapsu errabundi, fœcundant agros, gemmea vestiunt prata, omnis generis arbores educant, pellucidis riuis irrigant solum, & coactis aquis Lyrim flumen constituunt; cui ab Occidente immistus Garis, ita vires, ac nō men impertit suū, vt ex vtroq; flumine Garilianus existat, inter Cāpanię flumina percelebris, q; plano atq; æquabili

## ELOGIA ABBATVM

cursu per agros diù spatiatus,tandem nō procul ab Caie-  
ta in mare Mediterraneum tumidior effunditur .Ac , ne  
quid ad summæ amœnitatis cumulum desiderari queat,  
distributi in orbem montes, editiores alij,alij depressio-  
res,totum hoc terrarum æquor ambiūt, & coronant, vt,  
quocumq; oculi è Casino despectantium inciderint , iu-  
cundissimo circumfusi Theatri aspectu refiantur.

*Quo cultu, ac veneratione Mons Casinas  
apud antiquos fuerit.*

## C A P V T I I .



Lib. 9.  
In descrip-  
tione Italī.

V I V S opportunitate loci,ac delitijs ve-  
teres inuitati, Vrbem ad ima montis cō-  
didere,quam Liuius nobilem Romano-  
rum Coloniam, Strabo Illustrissimā La-  
tinorum Ciuitatem appellant . Hunc lo-  
cum florente Romanorum Republica cū  
alij dignitate , ac literis præstantes frequentarunt,tūm  
Marcus Varro suæ tempestatis doctissimus (quem Cice-  
ro sanctissimum, atq; integerimum nominat ) prædia  
ibidem , ac illustre Domiciliū habuit , cum Amphiteatro  
Colossœo . Ex hac autē Varronis, & reliquorum erudi-  
tione , ac gestis in Republica muneribus Varroni consi-  
miliū diuturna apud Casinum commemoratione,non so-  
lum honos ipsi loco, sed Musis etiam cultus , ac venera-  
tio ingēs accreuit. Hinc institutæ Nobilium Accademię,  
sacratus Apollini recessus , erecta ceteris Dijs , ac Dea-  
bus Fana , vt Silius Italicus haud mendaciter cecinerit .

Nin-

Nimphisque habitata Casini, rura. Huc Romanorum Sapientissimi ventitabant, seu animus honeste remittendus, seu danda studijs interior opera, seu quid aliud maioris momenti, ac ponderis agitandum. Hic saepè collatis inter se capitibus grauissima belli, ac pacis negotia pertractarunt. Hic susceptæ cogitationes, excogitata cōsilia, sancitæ leges, quibus Reipublicæ, vel stanti firmitas, vel inclinatæ fulcimētum afferretur. Hinc omnipium animos religiosa quædam opinio passim imbuerat, peculiarem venerationem, & cultum Casinati Oppido deberi, ac proinde grarius etiam in eos animaduertendum esse, qui Casini, quā qui alibi flagitia perpetrassent. Quamobrem Cicero vehementius in M. Antoniū inuehitur, quod Varronis fundū Casinatem cum inuasisset, nulla neq; loci, neq; domini religione prohibitus, eo prorsus modo, quo alijs in locis factauerat turpissimè in ea Villa fuisset perbaccatus; tū hec inter cetera de Varronis Casinati domo subiicit Tullius. Quæ in illa ante dicebantur? quæ cogitabantur? quæ lueris mandabantur? Iura Populi Romani, monumenta maiorum, omnis sapientiae ratio, omnisque doctrina. Ceterum Vrbs Casinas longo annum decursu incolumis, ac superstes, tandem Gothorum armis, ac furore deuastata ita concidit, vt in hodiernum diem pars tātum Amphiteatri Varronianī extet, temporis diuturnitati, atque iniurijs Barbarorum pertinaciter obluctata. Iā verò Dæmonum Idololatria, tām altè Casini radices egerat, vt missi postmodum in eam Regionē Sanctissimi Episcopi, Seuerus in primis ( quem spectata virtute celebrem, deque re Christiana optimè meritum duobus Cōcilijs interfuisse comperimus ) eam tamen asfidua

Ad finem 2.  
Philipp. ab il  
lisverbis. Ab  
hac Religio-  
num pertur-  
baitone.

## ELOGIA ABBATVM

sidua prædicatione, crebrisque miraculis conuellere ne-  
quierint; Idolorum sacrificulis, sacrilegas aras, ac Fana,  
inque animis oppidanorum penitus infixam supersticio-  
nem acerrimè propugnantibus.

*Mons Casinas qualis ab aduentu Sanctissimi P. Benedicti.  
in ea loca euaserit.*

## C A P V T : I I I .



O C igitur apud Casinum calamitosissi-  
mo rerum statu perdurante, D. Benedi-  
ctus ad eam gentem subleuandam diuini-  
Numinis prouidentia profectus est. Is cū  
in Sublacensi tractu secundissimis auspi-  
cijs religiosæ vitæ cultum, atque exerci-  
tationem promoueret, capitale odiū, & acerbissimas in-  
sestiones occultè, ac palam à Presbytero quodam Flo-  
rentio diù, summaque animi moderatione tolerauerat.  
Verùm cum hominis impudentissimi machinationes, ad  
labefactandam obscenis spectaculis Monachorum pudi-  
citiā, apertè traduētas vidisset, ne multorum salus (iunio-  
rum præsertim) sui vnius causa in discrimen vocaretur,  
consilium cepit in alias Terras demigrandi. Cælesti igi-  
tur monitu, præter alumnos aliquot, duobus etiā Ange-  
lis, ac tribus Coruis mirabiliter comitatus, ab Sublacensi so-  
litudine Casinum versus digreditur: Quo cum venisset  
omnia offēdit Idololatrię carduis, ac sétibus latè impedi-  
ta: gregem perexiguum, & præ inopia salutaris pastio-  
nis tristi squalore, ac macie deformem, inter frēmentes  
lupos

lupos, Pastoris ducatu, ac tutela destitutum: Neq; tamē recentis Hospitiij tam fœdo, ac horribili aspectu perterritus cogitationem abiecit eius prouinciae suscipienda, ad quā diuinitus se destinatum, vocatumque intelligebat; quin infelicem loci statum, & durissimam Incolarum vicem benignissimè comiseratus, placato per processus ieiunia, & alios corporis cruciatus Numine, gloriofissimo operi promptè fidenterq; se accinxit, ac intra paucos dies, prædicandi potestate proximè à Deo accepta, tantum profecit, ut euerso Apollinis simulacro, destrictis Idolorum aris, abolita superstitione, exactis Templo Aedituis, ac PseudoMystis Oppidanos, & circumpositas gentes ad Euangelicæ veritatis cognitionem, & cultum traduxerit. Qua in re tam multi Episcopi per tot annos irrito semper conatu, ac labore desudarant. Inde Christiano ritu, ac cæremonia, expiato Monte, Apollinis Aedem Sanctissimo Præcursori dedicat, sibi vero eam turrim ad habitandum deligit, quæ Idolorum Sacerdotibus sedes, ac Domicilium extiterat: Sapientissimum Moysem imitatus, qui ditissima Hebræorum præda, quā ab Aegyptijs abstulerant, tabernaculū, & sacerdotales amictus Diuino monitu perornauerat. Vterque locus plurimi deinceps, atq; insignibus miraculis est illustratus; Nam de Templo, vt fileam, vbi quæ supra naturæ vires, & consuetudinem eueneret iustis voluminibus scripta continentur: Certè Diuus Benedictus in sua Cellula, vnde Dæmones, & eorum ministros eiecerat constitutus, Scholaisticæ Sororis, & Germani Episcopi animas, in Cælum subeuntes aspexit. Ibidem etiam admirabili, ac penè inusitata Numinis Indulgentia

Di-

D.Th.Opuscul. 19 c.4.  
§.Item Episcopi.  
B.Aug.Triphi ordinis  
D.Aug.q.63  
art. I.

## ELOGIA ABBATVM

Diuinam Essentiam intueri promeruit, vti sanctitate, ac literis grauissimorum Patrum sententia est, quam hodieq; nostri Ordinis homines passim, ac præsertim in Salmanticensi Aæcademia palâ proponunt, ac doctissimè propugnant: Ibi deniq; suauissimi Angelorum cōcentus sæpius à Monachis magna cum admiratione simul, ac voluptate exauditi. Hinc Turris domicilium summæ apud posteros religioni semper fuit, ac reuerentiæ, quam nè consequentes anni, vel abolerent, vel imminuerent, religiosa solicitude Petri Biemæ Vorenensis, Abbatis Sancti Matthæi seruorum Dei opportùnè prospexit: Nam superiorem loci partem ( quæ Diui Benedicti Oratorium ab eius diuturna commemoratione nūcupatur ) veteri exemptam squalore accuratissimo studio, ac pia liberalitate perpoluit. Cubiculi testudo inductis à perito Plasta ornamentis ex marmorato, au- triq; intermicante fulgore nitidissima; parietes pendentibus magno numero tabulis celeberrimi nominis artificum manu depictis longè pulcherrimi; paumentū summa munditie, lœuoreque spectabile: tota denique conclavis descriptio, ac structura ad insignis elegantiæ venustatem elaborata, inuisentes honesta in primis, religiosaq; voluptate permulcet. Ceterum D. Benedictus profligato iam ementitæ diuinitatis cultu, & substituta in eius locū veri Numinis cognitione, ac reuerentia, in ipso Montis fastigio cælestis disciplinæ Gymnasiū aperuit, quo cum plurimi confluerent sublimioris vitæ de- siderio, eius opera, atq; exemplis ad omnem virtutem studiosissimè conformabantur: sed enim curandæ aliorum salutis flagratiſſimo studio incensus, non illud tan- tum

tum egit, vt suo magisterio, quamplurimi Christianæ perfectionis legibus imbuerentur, sed capacissimo charitatis sinu totum terrarum orbem, omnesque adeò consequentis temporis ætates complexus, operam dedit, vti de vniuersa posteritate optimè mereretur. Et sanè, vt ingenti animo maxima concupierit, non minora tamen Deo benè iuuante præsttit, quam eodem Authore, ac suasore designauerat: nam leges, quas temperandis religiosorum Cœtibus accommodatissimas conscripsit postmodum euulgatæ, tantum emolumenti, ac splendoris Christianæ Reipublicæ in hunc usque diem attulerunt, vt perfectè animo, & cogitatione comprehendere difficillimum sit, nisi antiquitatis monumenta studiosissimè euoluantur. Itaque quo in loco rusticante olim Varrone, alijsque doctissimis hominibus multa consignata sunt literis, Romano Imperio salutaria: falsæ diuinitati delubra: profanis Musis diuersorium fuit; in eodem Benedicti, eiusque discipulorum habitatione, ad æternam felicitatem comparandam aptissimæ præceptiones sunt traditæ: Vero Numini templa: Sanctitati Gymnasium: Ingenuis artibus honestissima Sedes firmissimè est constituta. Iam prima Cœnobij huius enascentis incunabula futuram vertentibus annis amplitudinem, ac magnificentiam luculenter præmonstrarunt. Tertullus, & Eutichius Romanorum nobilissimi liberos suos Placidū, ac Maurum D. Benedicto apud sublacū cōmoranti in disciplinā tradiderat. Hi postea Casinū profecti, perspecta sacri illius cœtus admirabili pietate, sanctissimisq; exem-

Casinatis Cœ nobij incuna bula clariſſima simul, & opulētissima

B plis

plis,tum ipsi,tum alij plures honestissimi Viri ( qui se religiosæ peregrinationis comites præbuerant ) recens Monasterium profusa certatim liberalitate sunt prosecuti. Quamuis Tertulli vnius beneficentia ceterorum omnium benignitatem longo interuallo antecelluit; quippe præter Casinatis Montis, & adiacentium locorū ( quæ ipsius ditioni,atque imperio subiecta erant ) liberaam possessionem,amplissimos etiam terrarum tractus, tum in Italia,tum in Sicilia largitus est ,tām magno numero,vt quibus Tertulli opes, ac pietas,parum perspecte sunt,ægerrimè possit persuaderi, prisorum scilicet in nostris homines liberalitatem,contracta huius tempestatis Magnatum in religiosas familias beneficentia, metientibus . Ex hac tamē facultatum magnitudine, & copia , pars longè maior ad subleuandas inopum calamitates , ac miseras deriuabatur , nec priuata Monachorū cuiuscuis votiuua paupertas inter exaggeratas opes decrescebat . Quin seculi hominibus admirationi erat , ac miraculo,ditissimi Collegij Patrum tanta in vietu , cultuque simplicitas , ac parsimonia , quantam difficile fuisset in qualibet tenuissimæ sortis benè morata domo reperire . Quo siebat,vt ijs potius,qui benè de Cœnobio merebantur liberalitatem, quam Monachis opulentiam inuidentes , alia & ipsi munera , aliasque possessiones alacriter conferrent . Neque interim obloquentium voces exaudiēbātur,Sacri Sodalitij alumnis dira,infaustaq;imprecātiū,quod congestis opibus necdum contenti nouis séper hinc,& inde corrogandis inexplebili auiditate inhiarēt :

sed

sed contrà, inter copiosos carpebantur, qui tantæ virtutis præstatiā, vel non cognoscerent, vel si nossent, parum tamen munerarentur copiosè. Creuit adeò mutua hæc Casinatis Domus religio, ac sanctitas, tum in ea locupletanda; atque exornanda piorum hominum, maximè verò Regum, Imperatorum, ac Pontificum, contentio per liberalis, ut procedente tempore Cœnobium Casinas potentia, atque Opibus Principes Italæ dominatus æquaret. Nobis, quoniam domestica literis consignamus, ne cui in hoc gènere credamur aliquid affingere veritati, visum est consultius multa omittere, quæ apud alios probatæ fidei Scriptores tum antiquos, tum recentiores tuo arbitratu legas, quam singula putidæ orationis stylo complecti. Sunt qui plures tradant, ego ex Archivij tabulis viginti tantum Vrbes Casinatibus paruisse reperio: Oppida trigintasex supra ducenta: Villas octuaginta quatuor. At Ecclesiarum (ut appellant) numerus, quas ijdemmet possidebant, mille sexcentarum sexaginta duarum summam conficiebat. Huic porrò facultatum; ac dominatus amplitudini par ab externis cultus, ac studium respondebat. Romani quidem Pontifices, quām sublimiter de Casinati Domo sentirent, quām impensè illius dignitati prospexerint, quantum ab illo Romana Sedes exculta, atque adiuta fuerit, ipsorum verbis Pontificum breuiter demonstremus. Zacharias huius nominis primus in suo ad Casinates diplomate hæc habet. *Casinense Coenobium exaltantes decernimus, ac in perpetuum confirmamus, ut supradictus locus dignitate vigore, & honorificentia præcellat omnia.*

B 2 Mona-

Romanorū  
Pontificum  
de Casina-  
tis Ceno-  
bij ampliu-  
dine illu-  
stria testi-  
monia.

Monasteria, quæ constructa, vel construenda sunt in toto Orbe ter-  
rarum, Abbasque eiusdem loci celsior, & celebrior existat omnibus  
Abbatibus eandem regulam tenentibus, illicque lex Monastici Or-  
dinis caput teneat, ac Principatum, ubi eiusdem legis descriptor Be-  
neditus Pater Sanctissimus eandem describens promulgavit Regula  
Pascalis secundus nihil ab Zacharia dissentiens, Sacrum,  
( inquit ) Monasterium Casinense uniuersorum per Occidentem  
Monasteriorum caput à Domino constitutum, & monastice nor-  
mæ principal Gymnasium, & non hominum studio; sed Dei im-  
perio à Diuo Patre Benedicto constructum fuit: is enim locus no-  
strorum pauperum relevatio, fugientium refugium, fessorum Sedis  
Apostolicæ filiorum requies indefessa permanit, & nostris præcipue  
temporibus Congregatio vestra Sanctæ Romanæ subuenit Ecclesie.  
At Urbanus secundus honorificentiora adhuc in suo pri-  
uilegio commemorat. Præter generale ( inquit ) charitatis  
debitum, præter singularem vestri Coenobij prærogatiuam, qua in  
Monastice legislatione, & latore Sanctissimo Benedicto uniuer-  
sorum per Occidentem Monasteriorum caput à Domino institu-  
tum est: illa etiam magnificentia, qua semper ( & nostris præcipue  
temporibus ) Congregatio vestra Sanctæ Romanæ subuenit Ecclesie,  
multum nos eidem loco fore compellit obnoxios. ( & rursus ) In quo  
præcipue Monasterio quod sanctæ nostræ Sedi Apostolicæ semper  
familiarius, ac deuotius adhæsit, & in omni opportunitate prom-  
ptius, ac benignius adfuit. Neq; dissimilia sunt, quæ ab In-  
nocentio item secundo referuntur. Cum iniunctum ( inquit )  
nobis Apostolicæ Sedis officium uniuersis per Orbem Ecclesijs effi-  
ciat debitores, vestro Casinensi Coenobio quam maxime obnoxios  
faciunt, & Beatissimi Patris nostri Benedicti Monastice legis la-  
toris præsentia corporalis, & in vobis per Dei gratiam usq; ad no-  
stra tempora indefessa perduranteius obseruantia mandatorum. Ac-  
cedit ad hoc quod idem Venerabilis locus Romanæ Ecclesie filiorum  
vuncium in aduersis solatium, & in prosperis infatigata requies per-  
seuerat

seuerat. Quæ præterea ab alijs Summis Pontificibus, præsertim, Alexandro secundo, Victore secundo, ac Iulio item secundo in eādem sententiam adducuntur, re-censere supersedeo. Neque Imperatores honestissimis nominibus eandem Casinatem Domum non insigniuer. Cameram *Imperialem*, & soli *Imperatori reseruatam*, Carolus Magnus, Ludouicus secundus, Lotharius tertius, Henricus secundus; At Carolus Quintus, *Celeberrimum Monasterium*, in suis decretis frequenter appellarunt. Neque illud opinor Casino non aliquid attulerit ornamen-ti, ac splendoris, quod varijs temporibus, vnum, ac viginti Reges, Imperatores sexdecim, Romanos Pontifi-ces tres, ac viginti, hospitio acceptos, omnibus religiosæ humanitatis, & obsequij officijs percoluit. Sed germana Casinatis sodalitij dignitas, & incomparabilis gloria non aliunde manifestius, quam ex suis Alumnis se pro-derit. Igitur ne alios Clarissimi sanguinis, & multarū opum Dynastas commemorem, quorum permultos ab generosa seculi fuga venientes religioso sinu exceptit: Certè Otho è copiosa, & illustri in paucis Fundensium Comitum familia; Marsorum Odorisius, & Gerardus; Sangrorum alter Odorisius; tum Beneuenti Principes Gisulfus, Antenulfus, Desiderius; Salerni Guaimarius: Deinde Regiæ stirpis, Bertharius, & Fridericus: duo præterea Regis filij, Vuillibaldus, & Vinibaldus: Denique duo Regum Capita, Carolomanus, & Rachisius: Thesia item, ac Rathruda, illa Rachisij Coniux, hæc fi lia (quæ separatim proximo monti Cœnobio inter Sanctimoniales degebant) omnes monasticis institutis apud Casinum exculti, magnum profectò decus, & eximiam

Imperatorū  
per honori-fica testimo-nia de Casinati Domo.

Clarissimi  
hospites ap.  
Casinū ex-  
cepti.

Eximia no-bilitis viri  
qui reliquo  
seculo in Ca-sinati Mon-te cœcum  
induerunt.

illi gloriam peperere; prorsus, vt ab vltimis religiosæ vitæ principijs repetita memoria, nusquam alibi comper-tum sit, Christianam, paupertatem pluris venissse, vel infimas Claustris functiones splédidius fuisse administratas. Iam verò eadem Domus varijs per Orbem Ecclesijs Episcopos septuaginta duos, Archiepiscopos triginta, Sacro Senatui Cardinales quadraginta quatuor, Vaticano Sollio Pontifices quinque, è suorum numero filiorum attri-buit. Porrò ex eadem nobilissimarum artium florentissima Accademia innumerabiles prodiere cuiusvis inge-nuæ doctrinæ studijs insigniter eruditæ, qui præclarissi-mis ingenij, & eruditionis foetibus non solum dome-sticam Bibliothecam clarissimi nominis integrum con-fecerunt; sed hodieque nulla est tota Italia paulò cele-brior, quæ non aliqua ex parte ipsorum nobilibus thesau-ris locupletetur. Verum enim uero ex ijs omnibus, quæ haëtenus perstrinxi, licet congerantur vnum in locum vniuersa, minus illustre nomen ad Casinas Domicilium redundet, quām ex ijs solum, quos idem extulit egregia virtute, atque innocentia ita celebres, vt Beatissimis Cæ-li Ciuib[us] adscriptos, iam diu Christianus Orbis cognoscat, & veneretur. Maximam horum multitudinem cer-to numero præfinire difficultimum fuerit, ac penè impos-sibile: communis, ac vulgata iampridem opinio habet, quinquies mille quingētorum summam excedere. Quā-obrem Cæsar Baronius non Romana magis purpura, quām spectata vitæ integritate, & literarum insigni pe-ritia illustrissimus, de Casinatis Cœnobij amplitudine hæc suis Annalibus intexit. Sed, & illud (inquit) absque trepidatione mendacij afferi iure potest, nullum unquam toto Chri-stia-

Antistites  
è Casinati  
Cœnobio.

Scriptores.

Sancti penè  
innumerabi-  
les.

eo.9. Annal.  
an.716.

stiano orbe extitisse aliquando Monasterium, ex quo tot viri sanctitate conspicui, atq; doctrina tanta numerositate ad regimen Sanctæ Apostolicæ Sedis adsciti fuerint, ut planè dici possit fuisse idem aliquando Seminarium Sacrorum Antistitum, prout quæ suo loco dicturi sumus manifestè docebunt.

*Quis per hosce dies Montis Casinatis status.*

### C A P V T I V.



ETERVM ex illa, quam dicebamus, tam enormi bonorum affluentia, & amplissimæ ditionis imperio ( quæ rerum humanarum vicissitudo est, & inconstantia ) partim Barbarorum vastitate, atque incendijs ; partim belli calamitatibus ; partim deniq; Potentiorū vi , ac rapacitate , non nisi per modica portio præsentes Cœnobij fortunas cōstituit . Quamuis hæc ipsa prouentuum intrà mediocritatē mensura , per Ministros spectatæ Religionis , atq; industriæ procurata , Monachorū frugalitati , & hospitū ( qui quotidiè frequentes vndiq; confluunt ) tolerandis sumptibus , vtcūq; sufficiat . Temporis diuturnitas , & ab hostili manu sæpius illatæ clades , Monachos adegerunt veteribus labefactatis , vel euersis noua ædificia substituere : vt mirū videri nō debeat , si minus multa antiquitatis vestigia apud Casinū appareat . Hodiernū Cœnobiū pro situ , ac loci arduitate peramplū , & elegās , paucis ab hinc annis exædificatum constat . Aedes Sacra ve-

tu-

tustior, sed tamen præter pavimentum, & Columnas (que Templi ab Desiderio primo Abbatte constructi vestigia, & reliquiæ perhibentur) ceteræ ædificij partes paulò superius, quam in anteactum proximè seculum referri queant. Ornamentis ex auro, exquisitis picturis, sectisq; pretiosis marmoribus, haud sanè ab initio abundans, nō multos ante annos colli impensis cœpta est, ac magnificè constructa, qui deinceps consequentur Presules strenuè fuerint æmulati (vti futurum speramus) breui Casinensis Basilica quemadmodum Sanctitate, ac Religione inter præcipuas Christiani Orbis iure optimo censeri debet, ita cultus, atque ornatorum splendore, inter Italæ nobilissimas non infimum sibi locum vindicauerit.

*Casinatis Monasterij Abbatum Dignitates, ac  
prærogatiæ.*

*C A P V T V .*



Larissimæ domus, & inter omnes vbiq; locorum religiosas primariæ Antistites (sicuti par erat) amplissimis decretis, & insignibus honorum titulis præfulsere. Ac primò quidem Abbatis legitima Monachorum suffragatione renūciati partes erant, ad Romanum Pontificem consecrationis gratiā se conferre. Cui consuetudini Lotharius tertius Imperator illam postea adiecit, vt ante consecrationem ob-  
ten-

tentam Cæsarem adiret, à quo per traditionem Sceptri  
Imperialis bonorum Cœnobij inuestitura donabatur.  
Neque Abbatii licebat utroque munere non impetrato  
credit i sibi Magistratus, gubernationem auspicari. Quin  
potius propositis grauioribus pœnis à Benedicto Octauo  
sanctum fuit, ne à quo quis præterquam à Romano Ponti-  
fice consecraretur: si secus fieret, tum admittente, tū qui  
consecrationē conferre præsumpsisset, anathemate mul-  
tatis. At huius consecrationis ritus, ac ceremonia (quæ per  
traditionem baculi pastoralis, anuli, & Sanctæ Regulæ  
siebat, quæq; viguit ab anno 549 ad annū 1504, quo tem-  
pore Cœnobium Casinas Cōgregationi Sanctæ Iustinæ  
de Padua coniunctū est) accuratè, ac pluribus describitur  
à Petro Diacono editis in D. Benedicti regulā Commē-  
tarijs. Eius etiā Romani Pontifices in suis ad Casinates  
Diplomatis meminerūt. Mihi in præsentia vnus Victoris  
secundi testimoniū suffecerit ad Fridericū, in hæc verba  
perscribentis. *Vnde & secundum priuilegia eorundem Antecessorū  
nostrorū, atque consuetudinem, tibi, quem consecrauimus, Monaste-  
rium Almī Patris Benedicti situm in Monte Castri Casini, cun-  
ctamq; ipsius Monasterij Abbatiam concedimus. Cardinalatus  
quoque dignitas, & insignia, Abbatis consecrationē ple-  
runq; comitabātur, vt aduertere erit in ipsis Elogijs per-  
currēdis.* Ejdemmet Abbatii, vbi primū præfecturam ini-  
uerat, non modo subditi omnes ipsius Abbatiae fidelita-  
tis iuramentum præstabant, sed etiam Principes Capuæ,  
Salerni, Beneuenti; & omnes Campaniæ Comites in-  
terposito iure iurando pollicebātur, se Monasterij bona,  
ipsumq; Abbatem pro virili defensuros. Idem etiā ius, ac  
more habuit ex suæ ditionis hominibus, quos visum esset  
nobilitate donare. Tabelliones, ac Iudices ad quosvis cō-

quomodo Ab  
bas ab Impe  
rat. confir-  
maretur.

Consecratio  
nis ritus à  
Romano Pō  
tif.

Cap. 64.

Abbas ple-  
rumq; Cardi-  
nalis.

Omnes Cā-  
paniæ Princi-  
pes, & Comi-  
tes Abbatii  
iuramentum  
præstabant.

Abbas nobi-  
les faciebat.  
Tabelliones,  
ac Iudices  
creabat.

## ELOGIA ABBATVM

tractus per subiecta Casinatibus loca diligere . Proto-notarios creare , qui Tabellionum aduersaria pro potestate reuiserent , ac diligentius scrutarentur . Urbani V. Pontificis facultate in omnibus Ecclesijs ( vel sibi non subiectis ) benedictionem Populo impertiebatur ( modo ut Episcopus loci , vel Apostolicæ Sedis Legatus nō adesset ). Inter omnes cuiusuis Cœnobij Abbates primo loco sedebat ( ne exceptis quidem Cluniacensi , Cistertiensi , ac Sancti Victoris , Massiliæ Cœnobiarachis ). Literas plumbeo sigillo munitas dimittere consueuisse ( quod præter Venetorum Ducem , alijs præterea paucissimis à Romano Pontifice dabatur ) euincunt Marini Abbatis , hodieque

Habuit usum Baculi Pastorali , & Anuli usum habuit iam inde ab anno 549 .  
 Baculi Pastorali , & Anuli , Sædaliorū , Sandaliorum , Dalmaticæ , ac Mitræ , & Chirothecarum , à Dalmaticæ , Victoris secundi Pontificatu , anno videlicet 1057 . qui Mitre , Chirothecarum . etiam refert Superiores Pontifices Abbatii Casinati hoc muneris induluisse . At Innocentius Tertius reliquorum Pontificum decreta suo beneficio rata esse voluit , hisce verbis . *V*sum quoque Compagorum , Chirothecarum , Tunice , Dalmaticæ , ac Mitræ , *V*irgam Pastoralem , & quotidianum usum Anuli indulgemus , & in omni Conuentu Episcoporum , & Principum Superiorem omnibus Abbatibus considere , & priorem ceteris vestri Ordinis viris sententiam proferre sancimus , & confirmamus . Sepenumero coactū , ingentes copias ( quas conscripserat ) eduxisse in aciem , idq; non rarò ipsius Pontificis rotatu , ipsorummet Abbatum res gestæ palam fecerint : Si- cuti etiā aliquot ex ipsis , Regni totius fuisse Cancellarios , ac nō neminē supra Cœnobij Præfecturā , ac Sacræ purpuræ ornamentū , eodē tempore Pontificiā legationem per omnē Campaniā , Principatū , Calabriā , Apuliam admini- stras-

strasse constiterit. Verum plura, quæ superessent distin-  
ctè, ac separatim persequi necesse non erit, si vnum illud  
addidero (in quo verè sunt omnia) Romanos Pontifices  
tanti Casinatis Abbatis nomen, ac munus fecisse, vt illo-  
rum quatuor in celissimo humani honoris fastigio collo-  
cati, haud quaqueam Sua Maiestate indignum duxerint,  
Casinatis Cœnobij moderatores simul appellari, & esse.  
Ergo ijdem Pontifices (quibus omnium optimè perspe-  
ctæ erant Abbatis Sacri Sodalitij dignitas, ac iurisdictio)  
in suis ad eum literis perhonorifica semper verborum  
præfatione nuncuparunt. Zacharias quidem primus  
ad Petronacem Abbatem, hoc vtitur exordio. *Religiosus,*  
*ac Dilectissimus Filius noster Petronax, Abbas Venerabilis.* Mar-  
tinus vero Secundus ad Balduinum. *Dilectus (inquit) Fi-*  
*lius noster Balduinus Reuerentissimus Abbas, Monasteriorum Pa-*  
*ter, & noster Spiritualis Filius.* At Benedictus septimus ad Ali-  
gernum. *Charissimus (inquit) nobis in Domino Iesu Christo Fi-*  
*lius Aligernus Venerabilis, & Religiosus Abbas Sacratissimi Mo-*  
*nasterij B. Benedicti Confessoris Christi.* Denique (ne longum  
faciam) Gregorius Septimus ad Desiderium, Pascalis Se-  
cundus, itemque Calistus Secundus ad Gerardum Abba-  
tem, in hunc modum. *Reuerentissimus, & charissimus frater Ab-*  
*bas Gerardus, &c.* Quod si Romana Sedes, quæ prò supre-  
mæ dignitatis (qua fulget Maiestate) Principes etiam vi-  
ros, ac Reges non nisi perparcè honorum titulis digna-  
tur, tamen in Casinatè Abbatè adeò extitit liberalis, faci-  
lè coniectura assequemur, quo loco, & existimatione idē  
Abbas, apud ceteros fuerit (tametsi potentissimos) quo  
cultu affici solitus, qua verborum honorificentia nomi-  
nari. Rogerius quidem certè Primus Rex Neapolitanus  
in suo ad Casinatem Abbatè Decreto (quod adhuc inter

Stephanus  
nonus, Vi-  
ctor tutius,  
Urbanus V.  
Paulus II.

Abbas San-  
ctissimus à  
Rogerio Re-  
ge appellatur

Archivij monumenta recensetur) Sanctissimū appellat, per celebri scilicet, quæ tunc apud omnes vigebat cū Cœnobij, tum moderatoris opinione, ac fama permotus. Tametsi autē negari non potest, quin Sacri Cœnobij, eiusq; Præsulum amplitudo, ac dignitas magnā partem ad Casinates præsentis temporis Monachos pertineant (tamquam patrum suorum æstimationis, & gloriæ legitimos hæredes, ac successores) tamen religiosissimæ Domus Alumni non ita acquisitis à Maioribus ornamentis, & bonoruū copia gloriantur, quin proprio elucescant splendore, quin præsentibus etiam fortunis utcunque abundant. Mitto accuratiorem sanctissimarum legum custodiā, mitto veteris disciplinæ puriorem cultum, serias in grauioribus studijs occupationes, tot hospitum cuiusuis ordinis, ac loci quotidianam susceptionem, quæ sicuti statutis religionis firmiora sunt argumenta, & à Religiosis familijs habenda præcipue in pretio, sic velim (nisi iam notissima essent) per alios potius, quām per me ipsum alijs innotescere: tantum addiderim, hac quoque tempestate magnam esse Monasterij Casinatis autoritatē, magnam inter Italie Cœnobia præstatiā: quippe (præter Sancti Germani Ciuitatem, duo, ac triginta Oppida, quæ moderatur) eius Abbas omnimoda pollet Episcopali iurisdictione, quā liberè in sua Dioecesi exercet, & administrat, nec habet finitimum Episcopum, cui ea demandantur, quæ ex Sacri Tridentini Concilij decretis, viciniōri Episcopo sunt committenda. Itaque uti Sixtus V. Pontifex Maximus statuit, ea omnia, quæ ad iuris æquitatem, seu ad indulgentiam, & arbitrium Iudicis referuntur, ad Abbatem Casinatem in sua Dioecesi spectare, ita in

Cœnobium  
Casinas Vrbem, ac tri-  
ginta duo  
Oppida ho-  
dieq; possi-  
det.  
Abbatis di-  
gnitas, & iu-  
risdictione Epi-  
scopalis.

# SACRI MONAST. CAS.

in hodiernum diem causæ ad Matrimonia, & Sacerdotia, quæ spectant, & id genus aliæ ab eodem Abbatे cognoscuntur, quas alioqui ad solos Episcopos pertinere indubitatum est. Ipse propriam Synodum celebrat, proprium habet Seminarium. Examinatores Synodales in sua Diœcesi eligit: idoneos excipiendis confessiōnibus approbat, sacris initiandos, examini subiicit: Tonsuram, & minores ordines suis subditis tum Religiosis, tum Secularibus administrat; literas dimissorias (ut appellant) ad maiores in aliena Diœcesi suscipiendos cōfert: Ecclesiasticorum concursus ad Sacerdotia indicit: Sacræ Confirmationis Sacramentum, & alia plura, quæ inferioribus Prælatis per Tridentinum Concilium non licent, administrat, et exercet; prorsus ut admiratione dignum sit, tot hostium rabiem, tot inuidorum rapinas, tot annorum vicissitudines, quæ in Casinatis Domus euersionem, et excidium coniurasse videbantur, nequiusse tamen eius gloriæ, atque amplitudinis sublimitati tantum detrahere, ut hodieque mille, ac centum fe-

rè post annos in sua etiam depreſſione non emineat. Viſum est autem non ab re

futurum, si tabellam subiiceremus,

quæ Monasterij, quod nunc

extat, & Oppidorum,

quæ possi-

det,

descriptionem, ac for-

mam repræ


sentet.

Casinatis Co  
nobij, eiusq;  
oppidorū for  
ma.

CA:

-obravat. & nuncinventur. In eis vero metu. - Ceteris autem  
-modis quod ambo de cibis. et non bis. excepit super  
-utrumque. Et rursum impedita. sicut. - utrumque  
**CASINATIS**  
**COENOBIL**  
**ET EIVS VRBIS, ATQVE**  
**OPPIDORVM**

**DESCRIPTIO.**



SANCTISSIMVS PATER  
 BENEDICTVS  
 MONACHORVM PATRIARCHA,  
 & Casinatis Cœnobij Fundator, &  
 Abbas Primus.



Nter Religiosos Sacri Cœnobij Præfules, quorum pie, præclarè queres gestas literis committere decreuerim, nemo sanè est omnium, vnde auspicatius, illustriusque principium, quām ab ipsomet Benedicto, admirandæ sanctitatis Antistite desumi queat; non eò tantum, quòd infinita numero, virtute immortalis, eruditione conspicua, Soboles ad Christianæ Reipublicæ commoda, & decus, ab ipso profeminata sit, ac toto Orbe propagata; Sed propterea etiam, quòd ab ijs omnibus virtutum ornamenti cumulatissimè instructus fuerit, quæ ad celsissimum sanctimoniae, ac venerationis fastigium, mortalium beatissimos efferre consueuerunt. Nursiam Natale solum, Parentes Eupropium, & Abundantiam habuit, apprime copiosos, & nobiles; quippe Eupropio ex Aniciorum familia inter Romanas maximè celebri, Abundantia pari nobilitate Mulier in matrimonium cesserat. Ex his ortus est Benedictus anno post editam salutem octogesimo supra

D. Benedictus Nobilissimus ortus Parentibus

qua-

Summo Dei beneficio Ecclæ labora-  
ti concessus. te : quo etiam tempore Christiana res soluta passim ve-  
tere disciplina, & erumpentibus quotidie prauorū dog-  
matum Authoribus miserandum in modum ægra labo-  
rabat; planè vt agnoscas diuinæ prouidentiæ admirabile  
consilium, quæ difficillimis Ecclesiæ suæ temporibus, Be-  
nictum excitauerit, quem furenti Erebo, eiusque mini-  
stris omnia vbique terrarum pro libidine miscentibus  
opponeret; cuius ope, ac magisterio perditæ mores corri-  
gerentur, propagaretur Religio, Sanctitas effloresceret.  
Domine exacta pueritia, Romam ingenuas artes edocen-  
dus, è Parentū complexu dimittitur. Verū maturior fuit  
in Urbem aduentus, quam commoratio diuturnior; quip-  
pe adolescens verè nobilis, illiberali Sodalium coniunctu,  
& projecta in omnem turpitudinem Ciuitatis disciplina  
offensus, vt eloquentiæ, & eruditioñis decus certa pudo-  
ris iactura, vel præsenti probitatis discrimine perquire-  
ret, adduci non potuit. Igitur sanctimoniam literis, so-  
litudinem Romæ, labores, & incommoda, sensuum leno-  
cinijs generosè præferens, ad arios sublaci Montes, &  
nuda saxa, id ætatis, ac teneritudinis adolescentulus,  
( quartodecimo scilicet ætatis anno) properauit. Hic ad  
exeli Montis umbilicum supernè incubantibus ruinis  
horrentem, & vndique circumfuso squalore deformem  
speluncam adeptus, in eam se dedit, ibique tres annos  
summarerum omnium inopia, & nuditate, omnibusque  
temporum iniurijs conflictatus exegit, nemine interim  
mortalium eius propositi, ac solitudinis conscio, præter  
Romanum insigni Religione Cœnobitam, cuius inflam-

Ad sublacen-  
sem solitudi-  
nem quarto-  
decimo æta-  
tis anno se co-  
tulit.

exeli Montis umbilicum supernè incubantibus ruinis  
horrentem, & vndique circumfuso squalore deformem  
speluncam adeptus, in eam se dedit, ibique tres annos  
summarerum omnium inopia, & nuditate, omnibusque  
temporum iniurijs conflictatus exegit, nemine interim  
mortalium eius propositi, ac solitudinis conscio, præter  
Romanum insigni Religione Cœnobitam, cuius inflam-

mata charitate Benedictus vti ad Eremum contenden-  
dē salutaribus consilijs , & Monastico habitu do-  
natus fuerat, ita quandū solus egit, modica victus an-  
nona certo dierum interuallo reficiebatur . Sæpius  
a Dæmone occulta vi , & ex insidijs appetitus , non-  
nunquam aperto quasi Marte lacesitus , nunquam  
non relata victoria superior discessit; tum præsertim ,  
cum ex obiecta mulieris cuiusdam perliberali specie ,  
quam in seculo aspexerat , incendi præcordia , &  
æstuare persentiscens , confestim expedito salutari con-  
silio , in proximos vepres vltrò se induit , nec ante  
nudatum corpus infestis spinarum aculeis configere  
destitit , quām educto per vulnera sanguine , impuri  
amoris abolita recordatio , & sæuæ libidinis faces  
extinctæ . Triennio inde elapso , certis sermonibus , ac  
nuncijs , passim increbescente Benedicti , eiusque sancti-  
tatis fama , non Agrestium modo , & vicinis è Pagis ; sed  
Honestiorum etiam , & ab Vrbē Roma ingentes ad eum  
concursus facti . Breui duodecim Monasteria in ijs Mon-  
tium iugis excitata : quibus per multos annos ita præ-  
fuit , vt vberima virtutum omnium , & religiosæ perfe-  
ctionis fruge , alumnos suos ad veram pietatem , ac sancti-  
moniam excoluerit . Sed vbi primum Benedicti Sancti-  
tas illuxit , Florentius Presbyter nescio quis in-  
uentus est , quem malus Dæmon inuidiæ stimulis ex-  
cæcatum , & satis iam per se furentem , vehemen-  
tius etiam in Benedictum incenderet . Hic Sanctissimo  
Abbati per insidias sæpè necem machinatus ,  
cum proposito semper excidisset , artem , ac dolos eō

Duodecim  
Monasteria  
exædificat .

transtulit, ut lubricæ Monachorum indoli per obscena  
 spectacula perniciem animi, atque exitium moliretur.  
 Sed ne ita quidem res successit ad votum. Nam pru-  
 dentissimus Pater profligati pudoris Aduersario ceden-  
 dum ratus, vna cum ijs, quorum saluti à Florentio  
 Casinū adit, anxius timebat, Casinum contendit. Ibi Dæmonum  
 aras, & simulacra, dicatosque passim inanibus Dijs  
 lucos, & quidquid vspiam per eas regiones superstitionis  
 visebatur, cum felicissimo successu intra paucos  
 dies sacra prædicatione funditus euertisset, Casinatein  
 tractum, omnemque illam viciniam ab agresti cultu, &  
 impia Dæmonum veneratione, ad humanitatem, &  
 Christiana sacra traduxit. Post hæc in editi Montis fa-  
 stigium se recipiens, egregiam operam nauauit, ijs,  
 qui sublimioris vitæ studio incensi ad ipsum conflu-  
 bant, ex Monasticæ disciplinæ norma diligenter insti-  
 tuendis. Quorum subinde è numero alijs Romam, &  
 ad proximas Vrbes; nonnullis in Galliam, Siciliam, Hi-  
 spaniam dimisis, cum maximus animorum prouentus,  
 & ingens Monastici Ordinis amplificatio est consecuta;  
 tum Benedicti Sanctitas, & Casinatis Cœnobij nomen  
 illustriori vbiique fama celebratum. Hæc inter dum  
 apud Casinum Benedictus alumnos suos moderatur,  
 & Evangelici Pastoris munus in procuranda eius po-  
 puli salute, ac spiritualibus commodis, strenue, ac  
 vigilanter exercet, Romam ( per occasionem gene-  
 ralis Concilij, quod Bonifacius Secundus coegerat )  
 euocatur: cui Conilio Benedictum, quoque  
 inter ceteros Episcopos, ac Sacerdotes præsentem,  
 suum

Idolatriam  
profligat.

Cœnobij in  
Monte con-  
struit.

Alumnos ad  
instituti pro  
pagationes  
in varias  
provincias  
dimittit.

Ex antiquis.  
Codice ma-  
nu scripto  
Pauli V. Pót.  
iussu, ex Bo-  
bienensis Cœ-  
nobij Biblio-  
theca in Va-  
ticanam de-  
portato.

suum nomen apposuisse compertum habemus . Vnde  
 etiam aperte deduxeris , nonnullos minus probabiliter  
 addubitare , an Sanctissimus Patriarcha Sacerdotio ini-  
 tiatus fuerit , quem supremi Antistitis accitu , Romano  
 Concilio interfuisse , atque una cum reliquis Episcopis , ac  
 Sacerdotibus Concilij decreta suo nomine firmasse eu-  
 denter appareat . Sed enim purissimæ vitæ exemplis , &  
 domestici moris temperationi , miraculorum quæ frequē-  
 tia , quæ splendore multo amplius authoritatis , ac digni-  
 tatis adiecitum est . Hinc Benedicti precibus , Monacho-  
 rum inopiæ , suppeditata diuinitus annona ; mancis , ac de-  
 bilibus , integer membrorum usus ; vita functis , lucis usura  
 denuo est restituta : Insuper vaticinij laude insignis , sae-  
 pe futuros rerum euentus in altissima Diuinæ Prudenti-  
 tæ abyssō latitantes longè antè præsagijt , prædixitque .  
 Quin etiam quoties è re Cœnobij esse , vel seorsim cuius-  
 piam priuatis rationibus expedire visum est , tacitas hu-  
 manæ mentis cogitationes exploratas habuit ; quæ seclu-  
 sis arbitris , remoto in loco peracta fuerant , d. serte , atque  
 ordinatè ipsem et actoribus exposuit : Interim Benidi-  
 ctus , nec annis , nec virium imbecillitate fractus , cum ce-  
 tera perfectæ sanctitatis munia impigrè , atque alacriter  
 obibat ; tum precandi studio ita mentem addixerat , vt  
 quidquid aliud ageret , diceret ve , nunquam ab rerum  
 diuinorum commentatione diuelleretur . Ex qua Nu-  
 minis , ac Superum perpetua consuetudine fiebat , vt An-  
 gelicam venustatem oris , ac vultus habitu præseferret ,  
 nedum castissimis moribus exprimeret innocentiam .  
 Iam verò ad , obitum quod spectat , non solum su-  
 prema dies multo ante ab eo distinctè percepta est , &

Miraculis co-  
ruscat.

Mortè prædi-  
cit.

## ELOGIA ABBATVM

aliquot sui instituti alumnis apertè denunciata. Sed quæcumque mortis genus, diem, ac horam attingebant, adeo diligenter, distincteque est exequutus, ut non tam diuinasse mortem, quam sibimet superstiti parentasse quodammodo videri potuerit; nam sex diebus antequam naturæ concederet, in columis adhuc, ac planè sanus, se pulchrum iam pridem sibi paratum recludi mandat; inde pertenui primo commoti uncula, mox grauiori morbo tentatus, cum proxime imminentem è vita discessum præuideret, deferri se in Oratorium iubet, ubi ritè obitis Sacre Eucharistiæ misterijs, receptui ab hac mortalitate canente Deo, inter Religiosas suorum preces, ac manus, stans, atque eretus, ad immortalis gloriæ usuram summa cum alacritate discessit. Ita, qui delicias incommodis, eruditionem Sanctitati, Romanæ Vrbis celebri-

Stans, atque  
eretus in  
Templo mo-  
ritur. anno  
543.

tatem, Eremi solitudini posthabuerat, cumula-

tissima Numinis beneficentia, egregiam cœ-

lestis doctrinæ laudem promeruit, om-

nium gentium linguis, admiratio-

ne, cultuque celebratur, &

liquidissimas superum

voluptates, & gau-

dia æter'num

degu-

stat.

*Præfuit annos qua-*

*tuorde-*

*cim.*

Sanc

## SANCTVS CONSTANTINVS.

A B B A S I I .



Onstantinus ( quem Reuerendissimum valdè virum Sanctus Gregorius appellat, quo etiam edocente vitam, & res gestas Sanctissimi P. Benedicti scripsisse testatur, ob eximiæ sanctitatis, & sapientiæ præclara merita dignus est habitus, qui Benedicto primus omnium in regimine succederet. Hic optimi Magistri amantissimus discipulus, strenuusq; æmulator, recens adhuc institutum latius propagauit. erectis apud exteris nationes Monasterijs, in quibus omnes ad regulæ normam mores suos, ac studia conformabant, obiit anno 560.

Sedit annos septendecim.

An. 560.



## SANCTVS SIMPLICIVS PRIMVS.

A B B A S IIII .



Implicitus è D. Benedicti Schola, ac Magisterio, tertius ab eiusdem obitu Congregationem Casinatem temperauit. Exempla sanctitatis, & omnium documenta virtutū ab egregio Præceptore cū didicisset, insignis charitatis, ac rerum piè gestarū gloria enituit. Constantinū imitatus, leges non ita pridam à D. Benedicto Monachis exaratas, omnibus Religiosorū domicilijs passim legendas, custodiendasque

Simplicius  
D. Benedicti  
Regulā pro-  
mulgat.

tra-

## ELOGIA ABBATUM

Hispanis no strum institu tū impertit. Hispanis nominatim , dimissa in eas regiones Monachorum Colonia tantum honoris, ac beneficij est impertitus . Cumque ad cetera pietatis, ac solidæ doctrinæ ornamenta, poeticam etiam facultatem adiecisset , sanctissimæ Regulæ factam à se maiorem promulgationem, carminibus explicauit . Excessit anno 576. vna cū Constantino ad pedes Sanctissimi P. Benedicti compositus , Horum corpora primum à Desiderio Abbe vna cum Sacris cineribus Carolomani Regis, ac Monachi inuenienta sunt anno Domini 1066. deinde à Ioanne Cardinali de Aragonia (cui Sacri Casinatis Monasterij cura demandata fuerat) anno salutis 1484. Postremo à Simplicio Caffarello Abbe huius nominis secundo, tertium, detecta, illustribus miraculis (vti suo loco fusiùs enarrabitur) insignem sui cultum , ac reuerentiam in Monachorum animis ingenerarunt .

*Sedit annos sexdecim.*

## S A N C T I V S . V I T A L I S

A B B A S . IV.



Italis ex eodem D. Benedicti felicissimo contubernio, sanctissimaque disciplina, supremo inter suos Magistratu est insignitus; quo in munere sicuti compertum est, laudabiliter illum , atque integrimè se gessisse, ita dubitari nō posse, quin multa nominatim perpetrauerit ad promouendam

dam suorum virtutem, ad excitandos posterorum animos ardenti cupiditate æmulationis idonea; quæ idcirco silentij tenebris inuoluta delitescunt, quod nostrorū hominum solemnis, ac perpetua consuetudo fuerit, ut egregijs quisque actionibus perpetuò occupati, ad sodalium res gestas (nisi summæ necessitatis, utilitatis è ratio exposcet) minimum temporis atque industriæ conferrent.

*Sedit annos sex.*



### SANCTVS BONITVS.

*ABBAS V.*



VO tempore Bonitus antiquæ probitatis, & eximij meriti Antistes rem Casinatem curabat, sui regiminis anno sexto, ab obitu SS.P. Benedicti quadragesimo septimo, inopinatae calamitatis gravissimo casu, coactus est, vna cum socijs loco excedere. Nam Zotho Beneuenti Dux magna Longobardorum manu stipatus, cum Cœnobium noctu ex improviso inuasisset immanissima feritate direptum, euersumque subiecto igni æquauit solo. Fuit hæc insignis illa clades, de qua D. Benedictus cum adhuc in humanis ageret, à se cælesti in lumine præuisa Theophrobum genere, ac moribus prænobilem commonefecerat, fusisque precibus, & in gentilacrymarum vi Monachorū omnium vitam, & incolumitatem à Deo impetraverat.

Cœnobium  
Casinas à  
Lögobardis  
deuastatur.

D.Greg.lib.  
2.dial.c. 20.

Inter-

## ELOGIA ABBATVM

Monachi Interea Bonitus, & sodales omnes (vno excepto Antonino egregio illo miraculorum Patratore, qui Surreatum se recepit) concubia nocte aufugientes iter Romanum intenderunt.

*Bonitus apud Casinum Abbatem egit sex annos.*

## APPENDIX.

*De Lateranensis Coenobij Abbatibus.*

Calamitosus  
Italiæ status  
initio Lögobardici do-  
minatus.



S erat per hæc tempora calamitosissimus Italie status, miserrimaque conditio, ut Longobardis crudeliter ubique, & impunè grossantibus, nulla Vrbs tam munita, nullus locus iam remotus inueniretur, quò illi suis incursionibus non perrumperent, unde prædas non agerent, ubi memorande crudelitatis, & quaritiae vestigia non relinquerent: Sed Monachorum domicilia, eò etiam facilius ipsorum rapinis, ac direptioni patuere, quò extra Vrbes constituta, pleraque minus habebat præsidij ad subitos impetus, ac repentina Barbarorum impresiones repelendas. Neque Coenobium Casinas, iametsi editi Montis fastigio impositum, eius cladis acerbissimam calamitatem effugere potuit, quam multis ante annis ipsius Author, ac Parens Benedictus futuram prænunciarat. Longobardis igitur nocturnæ bonorum populacioni intra Casinatem Domum inteniss; Monachi cum Bonito Abbatore, silentij, ac tenebrarum beneficio furtim elapsi, Romanum (secum asportatis D Benedicti vestibus, ac Regula, quam ipse met sua manu conscripsérat, alijsque maioris pretij, ac momenti reb) incolores ex fuga deuenere, ubi ad Pelagium Pontificem adeuentes, comiter ab eo benigneque accepti sunt, & in Lateranensi Monasterio

(cui)

cui Valentianus iam diu præsidebat, supra eximiam ritæ sanctitatem, ipsiusmet etiam D. Benedicti domesticæ consuetudine, ac Magisterio venerabilis ) collocati . Ex hac porro Coenabij utriusque Conuictorum, non domicilij magis, quam instituti, atque animorum coniunctione; una, atque eadem Congregatio Casinas coaluit, unus idemque Praeses, qui utramque Domum pari autoritate moderatur. Delicti continuo duodecim, qui Casinum contendentes DD. Benedicti, ac Scholasticae sacra pignora intentissimis excubij custodirent, retentaque deinceps consuetudo (quoad instauratum est à Petronace Domicilium Casinas) ut quotannis in vicarij laboris, ac vigilia locum totidem succendentibus, priores Romanum Sodalitium peterent. Quo postea ex loco tam multi ad Christianæ Reipublicæ gubernacula nostri Ordinis homines sunt euocati, ut verè totius Sanctitatis, & meliorum artium clarissima palestra, idemque posset Romanorum Pontificum Seminarium nuncupari. Neque dubium est, quin rationes ad hoc ipsum comprobandum permittæ, aliaque insuper dignissima relatu suppetenterent, nisi magnos sanè, atque irreparabili detrimento lacum ipsum, & uniuersa Tabularij monumenta idem casus sustulisset; ut molestissime mihi ferendum sit (exceptis Abbatum nominibus) tam longo annorum decursu, nihil aliud relatum esse, cuius appositione mearum obscuritatem lucubrationum hoc loco illustrarem; Sed spes est brevi fore ex nostris unum aliquem, qui honestissimo hoc munere (quod iampridem laboriosè urget) feliciter, ex animi sententia defungatur. Ceterum cum locus apud Lateranum angustior esset, quam ut admittendæ tot religiosorum hominum multitudini sufficeret, ab eodem Pelagio constructus est, qua Romanum Ponitum decebat, ædium laxitate, ac magnificencia .

A Pelagio  
Pontifice in  
Lateranensi  
Cœnobio  
collocantur

Apud Casinum nūquā  
Monachi de  
fuerunt ad  
Sanctissimi  
Patriarchæ  
Sepulchrum

Domus La-  
teranensis  
Seminarium  
fuit Roma-  
norum Pon-  
tificum.

ABBATES CASINATES  
 ROMAE LATERANENSI  
 COENOBIO PRÆSIDENTES  
 S A N C T V S V A L E N T I N I A N V S

*ABBAS PRIMVS.*



Valentiniani abbatis  
 opera Monasticus ordo  
 in Britannia & Scotia p-  
 pagatus.

Alentinianus S.P.Benedicto Præceptore, ac Duce Monasticā vitam professus, ab eodem Lateranensis domiciliū primus omnium delectus est Abbas. Huius inter alios narratione, ac testimonio D. Gregorius Papa Sanctissimi Patriarchæ nostri vitam, literarum monumentis commendauit: hoc eodem Valentiniano Præside Monasticus ordo per omnem Britanniam, & Scotiam (teste Petro Diacono, in serie, quam scripsit Abbatum Casinatis Cœnobij) dilatari est cæptus. Gregi, suæ curæ, ac fidei commissio, religiosissimæ vitæ documentis, nedum pijs cohortationibus, insigniter profuit.

D. Gregorio adhuc Pontificatum  
 administrante, naturæ con-  
 cessit, inter beatos cœli  
 Clues, ab Romana  
 Ecclesia con-  
 numera  
 tus.

GRE-

## GREGORIVS LATERANENSIS

A B B A S I I .

N A T U R A M



## SANCTVS THEODORV S.

A B B A S I I I .



Heodorus SS. P. Benedicti discipulus vir egregiè pius , ac Sanctus , charitate . in primis , & abstinentia fuit admirabili . Huius tempore Sanctus Faustus Monachus è nostris , qui Sanctum Maurum D. Benedicti iussu in Galliam fuerat comi-  
tatus eidemque viuenti perpetuò adhæserat , ad Lateranense Monasterium regressus est , vbi vitam eiusdē Sancti Mauri perscripsit , eamque Bonifacij Summi Pontificis authoritate comprobata , emisit in vulgus .

S. Faustus è  
Gallij re-  
uersus , vir à  
Sancti Mau-  
ri cōposuit  
in Lateranē  
fi Cœnobio .

## IOANNES LATERANENSIS

A B B A S I V .



E hoc Abbatे , alijsque insuper septem , quos ipse habuit in Lateranensi administratione successores , nihildum præter sola nomina potuimus , ex antiquitatis tenebris in lucem eruere .

ELOGIA ABBATVM

LEO LATERANENSIS

ABBAS V.

VRSVS LATERANENSIS

ABBAS VI.

AGAPITVS LATERANENSIS

ABBAS VII.

LEO SECVNDVS LATERANENSIS

ABBAS VIII.

IOANNES SECVNDVS LATERANENSIS

ABBAS IX.

THEOPHILVS LATERANENSIS

ABBAS X.

ADRIANVS LATERANENSIS

ABBAS XI.

AB:

**ABBATES CASINATES**  
**APVD CASINVM**  
**SECUND O**  
**COMMORANTES.**  
**SANCTVS PETRONAX.**

*ABBAS VI.*



T communiter Monachorum familiæ  
 omnes, & Casinas sodalitum nomina-  
 tim, si cuiquam alij secundum authorem,  
 ac Magistrum suum Benedictum, Petro-  
 naci sanè plurimum debent, cuius anti-  
 qua probitate, singularique sapientia ef-  
 fectum est, ut Monastica res, penè iam intermortua re-  
 uiuisceret, & magna cum laude celeriter, latissimèq; pro-  
 pagaretur. Gregorius Tertius eximia virtute Pontifex,  
 & in religiosum nomen egregiè animatus, molestissimè  
 ferebat, post Longobardicam Casinatis domus euersio-  
 nem, præclara quoque D. Benedicti instituta propemo-  
 dum neglecta iacere, ubi multos annos feracissimo san-  
 titatis prouento tantopere floruerint. Hac re sollicitus  
 Petro.

## ELOGIA ABBATVM

Petronax à Petronacem (qui tum fortè egregia pietatis, ac prudenter fama Romæ diuersabatur) ad se accersitum adhibiti cohortationibus adduxit, ut collapsam in Casinate

Monte Sedem reficere conaretur. Datis igitur è Lateranensi Cœnobio aliquot itineris comitibus, & laborum administris, hominem ad iniuncti munera prouinciam benè precatus dimisit. Consilij salubritas euentus felicitate comprobata; nam Petronax erectum qua maxima celeritate potuit Monasterium, arctissimis legibus ad veterem Ordinis integritatem reparandam consentaneis communiuit; neque tamen renascéti instituti rigor, vel seuerioris Præfecti asperitas multorum studia retardauit, quominus efflorescenti denuo familiæ ad pristinam sanctitatis laudem libentissimis animis seipso adiungent.

Diceres D. Benedicti felicissima tempora rediuiuæ disciplinæ obseruatione recurrisse: vsque adeò ad regulæ præscriptum exactè omnia referebantur ab omnibus.

Hinc domicilium Casinas antiquo religionis cultu, ac splendore breui recuperato, cum innumerabiles eduxit præstanti sapientia, & integritate alumnos; tum verò multis quoque latifundijs, ac vestigalibus piorum hominum benignitate insigniter est auctum; quippe Ordini nostro solemne, ac perpetuum fuit, vt hoc opibus abundaret magis, quo in Diuini obsequijs cultum, susceptique instituti obseruantiam diligentius incubuit. Tametsi autē Petronax reliquarum omnium virtutum præsidijs, quas in Sanctissimi Cœnobij Præfecto elucere par est, egregie fuit instructus, præcipue tamen inflammatam quan-

dam communis disciplinæ tuendæ voluntatem, ac zelum præsetulit, cuius admonitu nō modo à ceteris sodalibus, sed

Cœ nobium  
restituit.

Monasticus  
Ordo ap: Ca-  
sin: reflore-  
scit.

Cum sancti-  
tate, opibus  
etiam auge-  
tur.

sed à duobus etiam Regibus , tot idemque Reginis , quos  
 in religiosa palæstra formandos , fingendosque suscep-  
 rat , totius domestici moris arctissimam custodiam seue-  
 rus exigebat , præteritæ Maiestatis recordationem , & tu-  
 mentes seculi spiritus , abiecitissimis functionibus pruden-  
 ter contundens , ac proculcans ; quippe Carolomanū du-  
 plicis Regni administratione , rebusque præclarè gestis ,  
 apud Francos , antea celeberrimum , infimo primum co-  
 quinæ ministerio ; tum pascendarum ouium muneri ad-  
 dixit ; at Rachisio , qui Longobardorum populis imperita-  
 uerat , serendæ vineæ , suisque manibus excolendæ labo-  
 rem demandauit : Nam Thesiam eiusdem Rachisij vxo-  
 rem , & Ratrudam filiam , ad Montis radices cum alijs  
 Sanctimonialibus peculiari Cœnobio inclusas , ad pieta-  
 tem instituens , earum profectum , & constantiam , simili-  
 bus religiosæ humilitatis , ac patientiæ tentamentis ex-  
 plorauit . Illustri vtique , ac memorando in paucis ad sa-  
 crorum Cœtuum Rectores documento , ne auitæ disci-  
 plinæ seueritatem , ac robur , cuiusuis subditorum languo-  
 re , ac desidia infringi sinant , vel remitti ; cum longe con-  
 sultius sit , honestiusque , clarissimis ortos natalibus , ab Re-  
 ligionis ingressu artere , quam cum tenui primæuæ insti-  
 tutionis iactura in conuictum , ac societatem recipere .  
 Siquidem dicatis Deo familijs , non aduentio secularis  
 potentiaæ , ac nobilitatis splendore ; sed ardentis humilita-  
 tis studio , honorumque contemplatione , ac fuga , verū de-  
 cus , & germana nominis celebritas comparatur . Erunt  
 (opinor ) qui Petronacem eo nomine fortissimum  
 statuant , ac iudicent , quòd duo Regum paria ( inauditō  
 prorsus exemplo ) ad religiosam vitam admisit , ac rexit :

Petronax  
 duos Reges  
 totidemque  
 Reginas se-  
 uerus insti-  
 tuit.

Ad Plumba-  
 riolum Oppi  
 dū , vbi oīm  
 Sancta Scho-  
 lastica vitā  
 egit Monasti-  
 cam , atque  
 obiit .

at mihi non minus admirabilis videri solet, ac beatus, propterea, quod spectata probitate, & monasticæ disciplinæ studio conspicuus, iacentem, ac penè extinctam in nostra sodalitate cœlestis philosophiaæ exercitationem secundisimo euentu subleuauit; quodque Monasterium Casinas Longobardica clade attritum, disiectumque, eò splendoris, ac magnificentiæ prouexit, vt nouatum instar, ad vberiore segetis prouentum aliquandiù feriari, & quiescere permisum, non autem in carduos, ac sentes, tanquam malignus, effœtusue ager, sterilescere inertio, ac siluescere, Diuinæ Prouidentiæ beneficio videri possit: Hoc eodem tempore Casinatis Monasterij Sanctitas, vbique notissima, Bonifacium nostri Ordinis clarissimum Sydus, Archiepiscopum Moguntiæ, ac totius Germaniæ Apostolum permouit, vt Monasticæ vitæ nostram Germaniæ populis genuinam, germanamque tradendi cupidissimus, illam è Casinati Cœnobio, tanquam

S. Bonifacius  
Germaniæ  
Apostolus  
Sturmii ad  
Casinates  
mittit, Mo-  
nasticis di-  
sciplinis ac-  
curate im-  
buendum.

Casinensis  
Basilica à Za-  
charia Pon-  
tifice dedica-  
tur.

purissimo è fonte hauriret. Eò igitur Sturmium è suis discipulis hominem religiosum, ac solerter legavit: qui aliquandiù illic commoratus, inspectis, obseruatisque accuratissime Casinatum Monachorum studijs, coniunctu domestico, ac disciplina familiari, ad Germanos, suumq; Præceptorem Bonifacium, voti compos remigravit. Porro suscepti à Petronace regiminis anno 17. Zacharias Pontifex Casinatem Basilicam ritu, ac pompa maximè solemnni dedicauit, Archiepiscopis tredecim, Episcopis ve- rò sexaginta octo præsentibus; quo tempore idem Pon- tifex, inuenta à se DD. Benedicti, & Scholasticæ corpora nulla parte læsa, aut diminuta, vti repererat, ita prorsus intacta, illibataque reliquit. Denique Cardinalis Baro-

nius

## SACRIMONAST. CAS.

41

nius de Casinatis Monasterij Sodalium felicitate , ac numero , Petronace Abbatे , hæc literarum monumentis consignauit . *Mirum dictu ( inquit ) quanta mox ex noua plan-*  
*tatione Petronacis propagata fuerint eo in loco germina Monacho-*  
*rum , & aucta ipsorum examina instar apum , que ex turgescientibus*  
*aluearijs prodeuntes in diuersa Orbis loca adfætus multiplicationem*  
*vulnerint . Uenum Petronax sanctitate , ac rebus geistis clarissi-*  
*mus inigravit in Cælum an. 753 . prid . Kal . Maij , sepul-*  
*tusque est in porticu iuxta ædem D . Martini .*

*Præsedit annis duobus , ac viginti .*

Tom. 9. an-  
nal.  
An. 753. pag.  
7.

An. 753.

## OPTATVS.

### ABBAS VII.

**O**ptatus Petronacis administrationem Monacho- An. 753.  
rum suffragijs adeptus , piè , ac laudabiliter tenuit  
annis quatuor obiit pridie nonas Junij .

An. 757.

## HEMERIS.

### ABBAS VIII.

**H**emeris Optato sublectus , annum gessit Magi- stratum . Vita functus XV . Kal . Augusti , propè An. 758:  
F Ec.

Ecclesiam Sancti Patris Benedicti sepultus est.



## GRATIANVS PRIMVS.

A B B A S I X.



Ratianus eodem anno idem munus cū admississet , magno cum splendore , pa- rique cum laude in eo se gessit . Obijt 11. Kal Septembris . Per eos dies ob- latum fuit Casinatibus amplissimum il- lud Sanctæ Sophiæ Templum in Vrbe Beneuentana , vbi corpora Sæctorum duodecim fratrum condita seruantur , itemque Monasterium Sanctimonia- lium eadem in Vrbe ab Arichi Beneuentano Principe constructum .

*Præfuit annis quatuor, mense uno.*

## TOMICHIS.

A B B A S X.



Tomichis ad Casinatis Abbatiae gubernationē, post Gratianum euectus est , eo Præside mul- ti Casinatum Patrum perstudiosi Cœnobiū amplis muneribus adauxere . Obijt Tomi- chis anno 769. 8 Kal. Februarij.

*Præfuit annis ex Mensibus quinque diebus uno, ac viginti.*

P O.

An. 761.

Sanctæ So-  
phiaæ Tem-  
plum Casi-  
natibus do-  
natum.

An. 769.

## POTO.

## A B B A S - X I .



Oto in Abbatem electus, è re Monachorum publica, suaq; è dignitate præfuit. Hic inferius templum D. Benedicto erexit, vbi nunc Sancti Germani Basilica conspicitur; aliud quoque in honorem Archangeli Michaelis, quo in loco progradientे tempore Oliuetum succreuit, quod ab eodem Archangelo, mutuato nomine Sancti Michaelis de Monte appellatur, illudque picturis, ac versibus exornauit, VI. An. 773.

*Sedit annis quatuor, mensibus quinque.*



## THEODEMARVS.

## A B B A S - X I I .



Heodemarus suscepta eodem anno Casinati Præfectura, Monachis ad omnem virtutem, ac Sanctimoniam præluxit. Ardentí studio inflammatus honorem, ac cultum in Deiperam Virginem amplificādi, Templum illi exexit, cui vulgo Sanctæ Mariæ de quinque turribus nomen est factum, ad ipsum fontem, vnde Lyri flumini sua est Origo, ac

Caroli Mag-  
ni rogatu  
institutum  
Monasticum  
propagatur  
in Gallia,

principium. Caroli Magni rogatu per Casinates Monachos instituti nostri disciplinam mirificè propagauit in Gallia; eiusdem etiam Imperatoris lege, & Adriani Pontificis Decreto Cœnobium Gланofoliense à Sancto Mauro apud Francos extrectum, Casinati Monasterio subiicitur his legibus, ut Abbas à suis electus Magistratū ne capesseret, nisi prævia Casinatis Præfecti benedictio: Casinum quintoquoque anno proficisceretur: per totam Galliam vices gereret Casinatis Abbatis, infra quē proximo loco federet. Theodemaro Abbe, Paulus Diaconus scriptis iam suæ Gentis historijs, & Desiderij Longobardorum Regis (cui à secretis fuerat) gratia notissimus, Casini Monachum induit. Theodemarus ætate iam prouectior mortem obiit.

*Præfuit annos undeviginti.*

An. 792.



## V. GISVLEVS. II.

### ABBAS. III.



ISVL FVS clarissima Beneuentanorum Principum progenies, Abbatis dignitate insignitus, sui generis excellentiam, & Monachorum de ipso expectationem, egregie sustentauit. Cum videret Superiorum Præsidum sanctitate, ac solertia res apud Casinum optimo loco constitutas, tum quæ Cœnobij opes, ac redditus, tum verò in primis, quæ domesticæ disciplinæ integratam

tem spectarent, maturè prouidit, ut ab alijs laboriosè par-  
ta diligenter ipse conseruarèt, ac tueretur: deinde sacris  
ædificijs adiecto animo, Monasterium Sancti Saluatoris  
aliasque præterea Basilicas alijs in locis substruxit, vnam  
præsertim Apollinari Martyri (vbi nunc Vicus est San-  
cti Apollinaris) alteram Sancto Angelo propè Vallem  
lucis, sacras, dicatasque voluit. Multorum insignis pietas,  
ac munificentia in nostròs homines Gisulfo Rector,  
Cœnobium fortunis, Pagis, Oppidis locupletauit Naturæ  
concessit, nono Kal. Ianuarij iuxta Templum D. Benediti  
et i tumulatus. An. 812

*Sedit annos unum, ac viginti.*

Et postea, quod dicitur, in monachorum ordinem mutari  
et in monachum esse constitutus, et in monachorum ordinem mutari  
\* \* \* \* \*

### SANCTVS APOLLINARIS.

*Abbas XIV.*

IT si cæteris de rebus, quas Apollinaris  
Sanctissimè gessit, uti nimis lejunè lo-  
quuntur, ita prorsus reticerent historiæ,  
nos tamen ex eiusdem Casinati Præfe-  
ctura probatissimos mores, insignemq;  
sapientiam haud temerè dubitanterque  
coniectaremus; siquidem cum celebre illud Monasteriū  
per quindecim annos integrè, ac laudabiliter ab ipso ad-  
ministratum fuerit, quo tempore florente domestici mo-  
ris obseruentia, nemini dabatur per aliena suffragia tur-  
pi ambitu, & perficta fronte emendicata, ad honores ir-  
ripe-

repere ; sed sua cuique virtus , ac probitas modestissima  
 prensatrix simul , & conciliatrix erat dignitatum , illud  
 planè conficitur , Apollinarem ( qui supremi Magistratus  
 gubernacula communi Patrum consensu recepta tandiu  
 est moderatus ) non mediocri probitate , ac prudentia cla-  
 ruisse . Ceterum Apollinaris Sanctitas exploratæ virtutis  
 innixa basi , firmius consistit , quam ut à nobis nutantia  
 conjecturarum fulcimenta desideret : Nam Monachi  
 Casinates tum anniversaria celebritate præstantissimi  
 viri memoriam percolunt , tum sacros eiusdem cineres  
 ad Aram D. Bertharij Martyris recōditos , præcipua reli-  
 gione , cultuque venerantur . Id autem vetustissimo Ma-  
 iorum suorum exemplo , & authoritate , tum celebris etiā  
 prodigijs fama permoti , quo Apollinaris eximia virtus il-  
 lustri miraculo est confirmata : cum enim aliquando  
 prædia Monasterij inuisurus , ad Lyrim fluuium deuenis-  
 set , nec vlla præsentis cymbæ opportunitas , qua traiice-  
 retur , appareret , tum Apollinaris ( qui plurimum fiducie  
 in Cælesti præsidio collocauerat ) edito in aduersū flu-  
 men viuificæ Crucis signaculo , nihil trepidans , timensue  
 super vndas securus ingreditur ; Diuinaque ope præter-  
 uectus , in vltiorem ripam , nec madidis vestigijs euasit .  
 Evidem , vel ex hoc tam admirando prodigio persuasis-  
 sum mihi est , Apollinarem per omnem religiosæ vitæ  
 cursum luculenta pulcherrimæ virtutis documenta præ-  
 buisse , quæ si literis consignata extarent , & iucunda po-  
 steritati ad cognitionem essent , & ad exemplum , atque  
 imitationem salutaria . Verum enim uero de Apollinari ,  
 paucula , quæ traduntur , adeò sunt præclara , vt quemuis  
 ingenij tantum non hebetissimi admoneant , nihil illi ad-

im.

immortale decus, & sempiternam nominis celebritatem defuisse, qui Benedicti Sanctimoniam, eiusdem munieris, ac loci Præfectura quindecim annis integerrimè administrata sedulo est imitatus, quique Gariliano flumine impunè calcato, Petri Apostolorum Principis illustre miraculum, rediuiua magnitudine prodigijs repræsentauit. Obiit an. 828

*Sedit annos quindecim.*



### S. ANCTVS DEVVS DEDIT.

*A B B A S X V.*



Vandoquidem ea tempora Casinati Cœnobio impendebant, quæ insignis constantiæ Præfectum contra furentis Tyranni cupiditatem, & auaritiam exposcerent; defuncto Apollinari, Deus dedit ex sui nominis ratione, Diuino planè nutu sufficitur. Qui cum parem virtutis excellentiam cum Apollinari ad gubernandum attulisset, longè tamen dissiparem nactus est eius exercendæ, atque illustrandæ materiam. Sichardus Beneuenti Princeps ætatis, & consilij imbecillitate adolescens, vbi vna cum defuncto Patre, animi moderationem, clementiam, æquitatem eodē fe- retro extulisse visus est, Principatu in Tyrannidem verso, non tam populis dominabatur, quam suis ipse cupiditatibus per summam turpitudinem seruiebat, quarū impotenti æstu, ac furijs aëstu, ita contrarias in partes ani-

Sichardi Beneuenti Princeps depravati mores, ac tyrannis.

mo

mō distrahebatur , vt sordidæ tenacitatis laqueo arctissimè constrictus , in omnem tamen fædioris intemperantiæ licentiam effusè dissolueretur . Ergo dum cumulandæ pecuniæ vias omnes inuestigat , de Casinatis Thesauri opulentia per suos exploratores fit certior ; nec mōra , accersito ad se Abbate , contendit certam auri , & argenti vim mollioribus verbis ab eo extorquere ; Verum cum Deus dedit constanter respondisset , se , tum Christianis legibus , tū eius muneris , quod gerebat , religione prohiberi , quominus oblatas Cœnobio facultates cuiquam mortaliū impertiret , ad minas , terroresque estuentum : cū ne ita quidem res ad votum succederet , Sichardus coniicit illum in carcerem , periculum facturus , an incommodis , pœnarumque acerbitate inuiti Antistitis constantia labefactari posset , quæ prece , ac terroribus tentata , expugnari nequuerat ; sed enim Deus dedit tetri carceris squalore , inedia , ac ærumnis diù conflictatus , vitam in vinculis , non religiosi pectoris libertatem , ac propositum amissit . Crebra subinde miracula , fugatique ob sessis è corporebus Dæmones , clarissimam extinti Abbatis virtutē

An. 834.  
In vinculis  
extinctus mi  
racul s coru  
scat.

In Sanctorū  
numerum re  
latus est.

diuulgarunt ; mox Romana Ecclesia nomen , ac memoriā sacrī festis solemani ritu , ac cæremonia consecrauit . Hūc in modum Sichardus feritatis , & auaritiæ suæ armis contrà imbecillem Senem irrito conatu exertis , vel inuitus didicit , in homine Monasticis disciplinis probè communito , tantum animi , ac roboris ad extremam usque sene . Et utem perdurare , vt morte fortiter oppetenda , cuiuslibet Tyranni atrocem vultum , minas , supplicia , irridere possit , cuius infensum nomen armatorum cateruæ perhorrescunt , nutibus trepidanter obsequuntur .

*Prefuit anni: juli.*

HIL-



## HILDERICVS.

## ABBAS XVI.

**D**E Hilderico Casinati Abbatे, præter ingenij,  
ac prudentiæ clarissimum nomen, illud tan-  
tum perhibetur, Päuli Diaconi vitam ( quo  
vſus erat Præceptore ) versibus exornasse.  
*Sedit diebus septendecim.*

Scriptit Pau  
li Diaconi  
vitam.

## AVTHPERTVS.

## ABBAS XVII.

**A**Vthpertus triennali administratione im-  
mortalibus beneficijs Sacrum Cœno-  
biū cumulauit. Animum sanctissimis  
moribus, mentem humanioribus literis,  
& Sacrarum Scripturarum peritia cum  
imbuisset, subditis integerrimæ vitæ  
exemplo, Bibliothecam eruditissimi ingenij multiplici  
partu instruxit. Demum impetratis a Lothario Franco-  
rum Rege Priuilegijs, migravit è vita.

Editis volu-  
minibus ce-  
lebris.  
An. 839.

*Sedit annis tribus.*



## ELOGIA ABBATVM



BASSATIUS.

ABBAS XVIII.



ASSATII testatæ sanctitatis , ac sapientiæ viri præfectura, nedum Casinati sodalitio apprimè frugifera extitit , sed ultra etiam Italiæ fines peruagata , Burgundiæ, ac Germaniæ insignis fuit utilitatis , & cœmodi , religiosæ vitæ cultu ( qui ijs in locis penè interciderat ) magna industria, & sollicitudine excitato . In Franciam, Campaniæ Procerum suasu profectus , Ludouicum secundùm Imperatorem profligandis Saracenis , Campaniam , atque adeò Italiam penè totam deuastantibus , cum exercitu Casinum deduxit . Quæ ab eo extant ingenij monumenta, excellentem viri doctrinam apertè contestantur . Ad extrémum rebus ex dignitate, siue instituti norma administratis , meritis diues felicem obitum est consequutus . Iuxta ædem D. Benedicti, quam magnifico ornatu decorauerat, sepultus est .

*Præfuit annis unde uiginti.*



BER



## BERTHARIVS.

## ABBAS XIV.



Ertharius tam multis abundat , ijsdemq; præclarissimis animi, ac fortunę dotibus, facilè vt ex eorum numero vnū cognoscas, in quibus exornādis æmula quædā cælestis Gratiæ benignitas, cum insigni Naturæ munificentia decertat. Tantum

Diuini luminis à puerō combibit , vt seculi periculis , & instabili rerum vicisitudine ad rationem reuocatis, Euā- gelicæ perfectionis studio se dedere , prudenter in ani- mum induxerit . Inde parentum diuitijs, ac genere (quo ip̄sis Francorum Regibus iungebatur ) generosè con- temptis, consilio, quam ætate maturior, clam suis, domo , ac patria digreditur, religiosa peregrinatione inde usque è Gallijs Casinum suscepta . Quo simulac peruenit, cœ- nobitarum Patrem aggressus, tanta oris ingenuitate , ac modestia, ijsque rationum momentis Ordinem exposcit, vt prouum esset, in tam tenera ætate eundemmet cæle- stem Spiritum loquentem aduertere, à quo seuerioris in- stituti iniectam illi voluntatem constabat . Quamobrem Monachorum conuictu dignatus, quantum præ se alacri- tatis, ac studij efflagitanda Religionē tulerat, tantundem adhibuit in custodienda disciplina, diligentiae. Pietatis, ac bonarum artium exercitationem pertinaci studio com- plexus , breui tantus euasit , vt in vtraque facultate strenuis Commilitonibus præcelleret . Hæc autem in-

Ortum du-  
xit ab ip̄sis  
Francorum  
Regibus.

Fit Mona-  
chus Cas-  
inas.

genij, ac morum decora cum prudentiae, & consilij eximia laus comitaretur, Bassatio Abbatii demortuo com-

Creatur Ab muni Patrum consensione subiectus est. Porrò autem bas.

Bertharij administratio in eas temporum angustias incidit, ut idem munus nemini fortasse pluribus curis implicitum, neque maioribus vñquam periculis obsessum contigerit; quippe qui per annos viginti, ac septem (quis Monasterio præfuit) perpetuas dimicationes cum Barbarorum colluie, cum numero, & viribus, tum ferocia, & calliditate præstantium, exercuit. Sed quò fortunæ, ac temporum acerbior calamitas, eò Sanctissimi Antistitis præsens virtus, & invicti animi robur magis in-

Saraceni ex Africa in Italiam effusi.

claruit. Saracenorum Gens hircanis belluis, sæuitia, atq; immanitate crudelior, multos ante annos ex Africa soluens, instructam prædonibus classem funestissimas Italiæ clades allaturam, sicutis oris appulerat; quo tempore autem Bertharius renunciatus est Abbas, Tarento, ac Bario, ceterisq; firmioribus Apuliæ Oppidis communica, non accolas modo, & finitimos populos, sed longè etiā dislitas gentes quotidianis incursionibus, ac meleficis impetens, inaudito feritatis genere diuexabat. Hinc agris illata vastitas, direptæ Vrbes, exhaustæ domus; hinc euersa Templa, Religiosorum ædes igni, ferroque absumptæ; hinc demum in obuios quosque promiscui sexus, latrocinijs, verberibus, internecione impotenter desæ uitum; neque tamen cum religionis odio, aurique cupiditate inflammata raperetur, vel sanguinis sitim cædium infinite, vel diuinarum famem tot vndique congestis opibus explebat. Quæ cum ita haberent, Bertharius inito Magistratu acriter in eam curam incubuit, ut Casinū eiusq;

ditio-

ditionis Oppida, & possessiones (quibus à Saracenis prudenter metuebat) quam munitissima præstaret: hinc superius Monasterium firmo murorum ambitu, ac turribus in Arcis formam excitatis, egregiè circumsepsit; inferius verò (quippe patentius, & ad primos hostium impetus excipiendos magis obnoxium) Vrbe ad radices Montis (cui Sanctus Germanus nomen est inditum) à fundamentis condita, regio prorsus animo, ac sumptu inclusit. Tum domesticis rebus ad votum cōpositis, quod proximum ad securitatis stabilitatem videbatur, ut Saraceni, vel Italiæ finibus pellerentur, vel certè ne furorem, atque arma longius cum imperio protenderent, summa diligentia procuratū. Quam in rem adiacentibus Campaniæ populis author fuit, vt sociatis animis, ac viribus, infestas Saracenorum progressiones, & plena feritatis consilia repremerent. Quin sæpius itinere in Gallias suscepto, Ludouicum Imperatorem bis in Italiam adduxit, tetrio euem̄ et per literas, ac nuncios euocatum, vna cum Angilberga coniuge, apud Casinum liberali hospitio excepit; inde porrò traducentem in Apuliam aduersus Saracenos secutus, nihil omisit, quod ad arcendos ab Italiæ ceruicibus Barbarorumenses, opportūnum arbitratur. Ut Casinum autem ex Apulia se recepit, tumultuantibus Capuanorum animis ob Landulphum Episcopum (cui per vim, & contumeliam pulso, nobilium quidam audacissimi Pandenulphum è suis nescio quem, suffecerant) Bertharius, ne Saracenorum vires alienissimo tempore dissidentibus inter se Italìs accresceret, exemplo Romanam accurrit, Ioannem Pontificem monet, orat, obtestatur, videat per Deum, & cōmūnem tot popolorum

Vrbem Sā-  
di Germani  
adificat.

Itinere sæ-  
pius in Gal-  
lias suscepto  
Ludouicum  
Imperatōrē  
bis in Italīa  
adduxit.

Romanum  
Pontificem  
adit.

salu-

salutē, quæ summo in periculo versetur, ne Pandenulphi electionem ratam velit, improborum partibus suo patrocinio corroboratis; nisi paucorum audaciæ, & conatibus constanter obluctetur, & recens exortam ciuicæ seditionis flammam maturè compescat, fore, vt breui tam ingēs excitetur incendium, vt in eo postea extinguedo, cum reliquorum Principum, tum ipsiusmet etiam potentia, atque authoritas inutili labore occupetur. Verum Ioannes, vt Abbatis orationem probaret, ac in dicendo constantiam demiraretur, maluit tamen vaticinationis exi-  
tum experiri, quam fide maturè adhibita, declinare: Si-  
quidem illorum astu, ac potentia, qui Pandenulpho stu-  
debant, ad nouam electionem comprobandum inductus,  
statim Campaniæ Vrbes discordibus animis inter se, &  
intimis primum seditionibus agitari, deinde ab Saracenis  
vniuersa diripi, ac vastari, intempestiuua commiseratione  
indoluit. Ceterum Bartharij diuina ingenij vis, ac rerum  
gerendarum peritia excellens, nulli oneri suscipiendo  
impar, nulli superandæ difficultati non idonea, ita sedan-  
dis finitimorum tumultibus distinebatur, vt suorum otiū,  
ac sanctitatem simul confoueret; ita submouendis hostiū  
armis inuigilabat foris, vt domi initam cum Musis cōsue-  
tudinem non desereret, pacis artes cum insigni sua vo-  
luptate, & magno Posteritatis commodo pertractans.

Quæstiones in utriusque testamenti paginam dilucidè,  
ac subtiliter à se explicatas pergrandi codice; altero con-  
ciones priuatim ad Monachos in Diuorum natalitijs ha-  
bitas inclusit; Rem medicam dupli volumine; Gram-  
maticam aliquot libris illustravit: Metro tam multa,  
tamque eleganter (vt ea quidem ferebant tempora)

Plura scrip-  
sit soluta-  
oratione, ac  
metro.

con-

conscriptis, ut huic vni facultati per omnem vitam stu-  
duisse videri potuerit. Ecclesiæ, Sacrarijque supellecti-  
lem, tum alijs insignibus ornamenti, tum aureo præser-  
tim calice, & Euāgeliorum libro, gemmarum copia præ-  
nitentibus cumulauit. Demum Saraceni effractis repa-  
gulis, quæ ipsos, ne Casinum proprius accederent haēte-  
nus inhibuerant, Gariliano flumine properanter tran-  
smisso, nihil prius habuerunt, quam ut Bertharium, hostē  
sibi ex omnibus virtute, ac potentia longe infestissimum,  
de medio tollerent. Casinum igitur de improviso ad-  
uolantes, sacris ædibus expilatis, ferro, flammaq; excidiū  
inferunt, è religioso cœtu plerosque obtruncant, & Ber-  
thario commodum Missam facienti, gladio vitam eripiūt.  
Quō scelere ab nefarijs grassatoribus patrato, integerri-  
mus Præsul, ac Martyr, è templo in Cælum, ab aris ad  
Deum euocatus est. Et verò par erat, ut ad honestissimi  
triumphi speciem (quem de suis hostibus aeturus erat  
clarissimum) non sacerdotali tantum amictu, & Ponti-  
ficia thyara insignis, sed purpurea etiā effusi cruoris tra-  
bea conspicuus, cum illustri suorum comitatu, & pompa,  
Cæli Capitolium conscenderet. Passus est 11. Kal. No-  
uembris. Monachorum numerus, qui cum Berthario oc-  
cubuere, ab eo tantum iniri potest, qui cumulatam mer-  
cedem, & coronas eisdem est impertitus: plurimos fui-  
se indubitatum est, quod ex omnibus Italiæ Monasterijs  
ferè omnes Saracenorum timore perterriti Casinū con-  
fugerant, tanquam tutissimum ad Asylum, & vniuersa-  
lem Coenobitarum parentem Bertharium. Sanctissimi  
Martyris corpus in facello eius nomini dicato recondi-  
tum, miraculis in hodiernū diem apud Casinū illustratur.

*Prefuit annis viginti septem.*

AB-

Saraceni Ca-  
sinum inua-  
dentes diri-  
piunt, ac de-  
vastant,  
Monachos,  
ipsumque  
Bertharium  
obtruncant.

An. 884,

## ABBATES CASINATES

THEANI COMMORANTES

ANGELARIUS

ABBAS XX.



Ncensa iam à Saracenis , atque euersa Casinati domo , post gloriosissimā Bertharij Abbatis, ac socrorum necem, Monachi, quos barbarorum immanissimus furor, ac strages reliquos fecerat, Theanum se recepere ; quo etiam Bertharij monitus ( qui paulò ante futuram cladem prænunciauerat ) Tabularij Casinatis pleraq; Autographa, & pretiosæ suppellestilis, sacrique thesauri maiorem, melioremq; partem asportarunt. Monachis igitur , apud Theanum commorantibus, Angelarius ex Præposito Cœnobij electus est Abbas . Hic restituendo Sancti Saluatoris Monasterio , quod Saraceni subiecto igne deformauerant , animum admouit, ac manus . Deinde ab vniuerso Clero, ac populo Theanensi in demortui Episcopi locum, ac munus, ob insigne virtutes , & egregia promerita subrogatur, Ibidem vita functus est nonis Decembris.

Sedit annis sex.

Monachi  
Theanū au-  
tagiētes pre-  
tiosiora  
quæq; secū  
deferunt.  
An. 884.  
An. 890.

RA

## R A G E M P R A N D V S.

## A B B A S X X I .



Agemprandus eiusdem Theanensis Sodalitij suscepto pastorali muuere, ingen-  
tem habuit in sua Præfectura doloris, ac  
tristitię materiam: Siquidem anno se-  
ptimo postquam administrare cœperat,  
incensa per imprudentiam domo, præ-  
ter magnam rerum pretiosarum vim, ac priuilegia, quæ  
eonflagrарunt, Regulam quoque Sanctissimi P. Benedi-  
cti propria manu exaratam, ignis vorax absumpsit, extre-  
mo tantum ejusdem Regulæ capite (quod Casini adhuc  
asseruatur arboris cortice inscriptum) superstite. Deces-  
sit Ragemprandus eodem in loco. An. 899.

*Sedit annis nouem, mensibus decem.*



## L E O.

## A B B A S X X I I .



E O à Monachis Præfectura decoratus  
eodem anno, integerrimi Præsulis par-  
tes summa cum laude expleuit. Quinto  
sui regiminis anno, Cœnobium Casinas  
annis uno, ac viginti postquam à Saracé-  
nis dirutum fuerat, instaurandū curauit.

Obtentis à Guaimario Salerni, ab Athenulfo Capuæ,

H

ac

ac Beneuenti Principibus, priuilegijs, Monasterij rationibus, pro virili consuluit. Tandem confectus senio migrauit è vita. Ibidem sepultus. Leone Abbatte Monachi Casinates tertio Messanam profecti, apud Sanctum Pla-  
 An. 915.  
 Monachi C-  
 finates tertio  
 apud Messanā  
 Martyro  
 coronantur. cidum pro Christianæ fidei defensione datis constanter  
 cœrpicibus, illustre Martyrium à Saracenis subiere, aureas  
 immortalis gloriæ coronas, ab rapacissimæ Gentis ferro  
 consequuti.

*Præfuit annis quindecim, mensibus septem.*

## ABBATES CASINATES CAPVAE DEGENTES. SANCTVS IOANNES.

ABBAS XXII.



Oannes Capuæ illustri loco natus, ex Archidiacono Capuano Monachus Casinas, ob insignem morum maturitatem cum virtutum splendore coniunctam, Abbas creatus est. Sui Sodalitij Patres Theani minus cōmodè habitantes, Capuam traduxit. Casinatem Basilicam à Leone restauratā, exornauit Sanctitatis, ac miraculorum dupli splendore conspicuus, clarissimum habuit occasum, pridie Kal. Aprilis; Cum ingentem bonorum copiam, & nonnulla Priuilegia Monasterio comparasset, Principes viros quamplures egregiæ probitatis, ac prudētiæ fama promeritus. In Capuano Cœnobio tumulatus est.

*Præsedid annis unodeuiginti, mensibus septem.*

ADEL-

An. 917.

An. 936.



## ADELPERTVS.

ABBAS XXIV.



Delpertus eodem anno, eiusdem muneris dignitate cohonestatur. Huic Ioannes Consul, & Dux Neapolis, plures Ecclesias, & priuilegia concessit; huius item studio Casinas domus nouis ornamentis multò elegantior est redditā. Capuæ demum obita morte, ibi-  
dem sepelitur. An. 944.

*Sedit annis nouem.*

## BALDWINVS.

ABBAS XXV.



Alduinus non magis apud Francos gene-  
re, quam propriis ingenij, ac morum do-  
tibus spectabilis, Adelperti prouinciam  
anno eodem capessens, biennali Magi-  
stratu egregiam sanctitatis, ac solertiæ  
laudē est consequutus. S. Sophiæ Basilicā  
Beneuentanorum Principum vi, ac potentia Casinatibus  
eruptam, iterū Sodalitio vindicauit. Celebrē D. Pauli Basili-  
cam, & Cœnobiū propè Vrbē (quæ à Casinatib. etiā num-

H 2 admi-

administratur) Romani Pontificis iussu sibi commissa, procurauit. Ab Vgone, & Lathario Regibus priuilegiū obtinuit, quo bonorum omnium Cœnobij securior posseſſio, ac firmior reddebatur. Per id tempus Monachi iubente Agapito Pontifice, Capua Casinum magna ex parte remigrarunt.

*Præsedit annis duobus.*

M A I E L P O T V S.  
A B B A S XXVI.

**M**Aielpotus ex Præposito Casinati creatus Abbas, Cœnobij rem, ac fortunas non mediocribonorum accessione cumulauit. Plura, quæ sine dubio referenda superessent, tum Maielpto ipſi, tum Ordini yniuerso perhonorifica, tabularij iactura intercidere.

*Præsedit annis sex.*



A B B A T E S C A S I N A T E S  
T E R T I O A P V D C A S I N V M  
C O M M O R A N T E S.

A L I G E R N V S.  
A B B A S XXVII.

**C**VM ea demum præclara sit virtus, animq; magnitudo memorabilis, quæ nulla periculorum grauitate, nulla asperitate temporum, ab honestis actionibus reuocatur; profectò Aligernus supra ceterarum ornamenta virtutū, illustrè quoque Christianæ huius fortitudinis gloriam reportauit.

uit. Is primum Balduino Abate Romæ cucullum indue-  
rat; deinde Casinum transmissus, ex Præposito Monaste-  
rij, Abbas Capuæ est renunciatus. Quo tempore autem  
Cœnobium Casinas moderari instituit, deductis illuc Ca-  
puani Sodalitij alumnis, rem Casinatem eo loco offendere-  
rat, vt annui prouentus, in vietum, cultumque Monacho-  
rum ægrè admodum sufficerent. Eam ob rem totus in  
eam cogitationem, curamq; incubuit, vt Monasterij pos-  
sessions, & Castella, quæ finitimi potentiores bellicis su-  
periòrum temporum tumultibus, ac rapinis per vim oc-  
cupata, sui iuris effecerant, vtcunque recuperaret. Quod  
dum facit, vrgetque vehementer, & grauissimos labores  
percessus est, & multorum (vt fit) odia, atque inimicitias  
contraxit, qui nimis ne malè parta prædiorum pos-  
sessione pellerentur, omnibus incommidis Aligerium in-  
sectari, & exagitare non desinebant; quorum tamen ille  
improbitate, ac contumelijs, cum deterreri non posset,  
quominus Cœnobij iura persequeretur, & erepta bona  
constanter repeteret, aduersarij communicatis inter se  
consilijs, importunum exactorem, ne ipsis porrò negotiū  
faceſſere pergeret, ad vincula, & carcerem destinarunt.  
Quamobrem Adenulfus Aquinatum Prætor scelere,  
atque audacia maximè inter coniuratos insignis, cum in  
omnem opprimendi Abbatis occasionem totus immine-  
ret, illum aliquando ex insidijs adortus, deuincit, & vali-  
da armatorum manu circunseptū (vti cum reliquo præ-  
donum cætu conuenerat) Aquinum in custodiam abdu-  
cit: Ac, vt furori, & dementiæ extrema concederentur,  
Antistitem ea dignitate, ac sanctimonia venerandum, vr-  
sina pelle conuestit; tum ferino habitu horridum, ac defor-

Aligerius A-  
quinū in via-  
cula abduci-  
tus.

mem,

Irrisioni, ac  
ludibrio ha-  
betur.

A Capuano  
Principe in  
libertate vin-  
dicatur.

Bona Cœno  
bij recupe-  
rat, augerq;

Triginta  
quinq[ue] an-  
nis felicissi-  
me Casinum  
rexit.

mem, inserta ad collum catena, latrandum canibus expo-  
nit, & vili plebeculæ, puerisque irridendum, & exibilan-  
dum insano spectaculo propinat: sed homini longè scele-  
stissimo carè admodum stetit mitissimi Præsulis atrox  
adeò contumelia, & inauditi ludibrii impudentissima te-  
meritas. Nám Landulphus Capuæ Princeps tanti im-  
manitate sceleris accepta, cum militum cohorte Aqui-  
num confestim aduolans, detractis Aligerno vinculis  
Adenulphum innodat, pro Abbatis voluntate, atque arbi-  
trio puniendum. Ceterum Aligernus, qui animo suo im-  
perare, ex Christianæ Philosophiæ præceptis apprimè di-  
dicerat; priuatis iniurijs, suique ipsius contemptu, & igno-  
minia, capitali aduersario benignissime condonatis, liber-  
tatem insuper, & cuiusvis supplicij veniam, a Landulfo  
Principe impetravit. Huius porrò tantæ moderationis  
fama latè occupatas: hominum mentes, insignis religio,  
ac reuerētia, tum Rectoris, tum Monasterij incessit. Quo-  
factum est, ut Aligernus, recuperatis, quæ erepta fuerant  
maxima ex parte, possessionibus, alias etiam complures  
religiosorum hominum liberalitate, ac munificentia ob-  
latas, adiecerit. Quin etiam aucto Sodalitio, vitæque  
Monasticæ studijs (quod maximè optauerat) ad veterē  
instituti normam reuocatis, suscepit nuper præfectu-  
ræ munus, triginta quinque annos, secūdisimo deinceps,  
rerum cursu administravit. Quare Adenulfus dum acer-  
bitate, atque odijs Aligernum deprimere conaretur, di-  
uini consilij, ac prouidentiæ ignarus, illustrandæ eiusdē  
virtuti, amplificandisque Cœnobij fortunis, operam da-  
bat. Tantum interest ad primæuam Ordinis nostri sa-  
litatem, opesque restaurandas, ijs Rectoribus domorum

curam demandare, qui à publica re tuenda curandisque Monachorum vtilitatibus, ne proposito quidem vitæ periculo auocentur, priuatas verò ipsorum iniurias didicerint, nec pereimescere, nec vlcisci. Ab Othono Imperatore, quam plurima Oppida, & Aedes Sacras diuersis in locis obtinuit. Roccam Ianulæ Ciuitati Germanensi imminentem, extruxit: loca omnia à Saracenis direpta, incensaque non refecit modo, sed nouis etiam incolis tradidit habitanda. Postremò Sanctitate, & restituti tertio Casinatis Cœnobij gloria conspicuus discessit è vita Kal. Decembris. An. 987.

*Præfuit annis triginta quinque.*



## MANSO.

### ABBAS XXVIII.



ANSO Pandulphi Capuae Principis consobrinus, ex Præposito Sancti Magni apud Fundos, Casinensi Cœnobia subditi, hoc anno Abbatis potestatem, & insignia admittens, vario euentu decennium exercuit. Casinates, Mansone rem administrante, quinque Cœnobij in Longobardia constructis, Oppido Rocca Sicca propè Aquinum; quin etiā Aquinate ipso Comitatu (largiente Pandulfo Capuano Principe) sunt aucti. Abbatem interim Sodalitij commoda prudenter, & oculatè promouentem, Capuanorū Manso à Capuanis exoculatur. quidam ex insidijs captum, per summum scelus, summāq;

im-

In solitudinē  
secedit.

An. 997.

improbitatem exocularunt. Manso abdicata præfectura, secessit in remotiorem locum, ut oculis captus, futuræ vitæ æternitatem mentis acie clarius intueretur, & animo ardenter expeteret. Obiit octauo idus Martij.

*Præfuit annis duodecim.*



### IOANNES SECUNDVS.

A B B A S - X X I X.



Ioannes Di-  
missa præfe-  
tura Eremū  
petit.

An. 993.

Lucius Mo-  
nachus san-  
ctitate insi-  
gnis Cœno-  
biolum Alba-  
nete exedi-  
ficat.

Oannes Secundus spectatæ probitatis vir, & honorum adæque dignus, ac fugitans, quam Monachorum hortatu, ac precibus admiserat, Casinatis Collegij gubernationem, anno vix dum elapso, suapte sponte dimisit. In Eremo, Piretum dicta ( vulgo Sanctus Comeo appellatur ) reliquum vitæ sanctissimè exegit, aliquot Religiosorum hominum contubernio vsus, quos eiusdem propositi socios secum deduxerat in solitudinem. Obiit Theobaldo Abbe ( si tamen obiisse dicendus est cuius anima immenso circūfusa splendore coruscans visa est abire in Cœlum ). Per idem tempus sanctitate emicuit non vulgari Lucius Casinas Monachus, à quo tradunt Cœnobium Sanctæ Mariæ de Albaneta suum ortum, atque originem traxisse.

*Præfuit annum.*

AP-

## APPENDIX

DE SANCTO IGNATIO LOYOLA  
Societatis Iesu Regulas apud Albanetam  
condente.

*Lbanetæ Monasterium nedum sui sanctitate Conditoris est celebre; sed aliorum deinceps tum nostri Ordinis Patrum, tum verò Ignatij in primis Loyole Societatis Iesu Sanctissimi Parentis religioso secessu, rebusque ibidem peractis, veneracionem sibi, ac famam longè illustriorem comparuit. Hic namque leges, ac decreta suæ Sodalitati recens institutæ daturus, ijs conscribendis non alium aptiorem locum Casinæ solitudine existimauit; quippe, præter loci sanctitatem, ac recessum, expertus antea, quam benignè Cælestè Numen suis rebus fauisset, quas apud nos, nostrorum hominum consilio, atque auspicis perficiendas suscepisset; Nam sub initia suæ conuersonis, votua peregrinatione ad Montem serratum profectus, cum in Aede tota Hispania præcipuo Deiparæ cultu celeberrima, totum se Deo, eiusque Sanctissimæ Parenti, traducta in precibus nocte, deuouisset, tum apud unum ex alumnis D. Benedicti ( quibus concredita est Sacratissimi Templi cura, & patrocinium ) totius virtutæ superioris noxas per Sacram confessionem iriduo deposuerat, multis etiam præsidij instrutus, non in præsens dunt axat ad animi expiationem, ac medetam; sed ad eum sanctitatis apicem, quo postea euasit, securius, faciliusq. cōscéndendum: Siquidem à Ioanne Cianone Gallo eximiae virtutis, & innocentiae Cœnobita ( cui de peccatis confessus fuerat ) spiritualibus exercitijs diligenter excultus est, ijs ipsis, quæ Garzias de Cisnedo admirandæ sanctitatis Abbas, & Monastice discipline non in ea tantum domo, sed per omnem Hispaniam felicissimus instaurator, paulò ante concinnauerat, quæque iam inde ab anno 1500. typis euulgata, in Casinati Bibliotheca afferuantur. Ignatius itaque hominem nactus,*

S. Ignatius  
Societatis  
Iesu leges  
ap. Albane-  
tam condit.

Ad Montem  
Serratum con-  
tendit.

Totius vita  
facram con-  
fessionem  
obit.

A Ioanne  
Cianone Mo-  
nacho spiri-  
tualibus e-  
xercitijs ex-  
colitut.

Garzias, de  
Cisnedo li-  
bri exerciti-  
orium Au-  
thor.

Vide Patrem Petrum Ribadeneyram in Vita Sancti Ignatij c. 3. & 4. & P. Antoniu Yepes tom. 4. Cronicorum Generalium Ordinis D. Benedicti Centuria quinta cap. 2. de Coenobio Monitis Serrati pag. 236.

Romæ in D. Pauli Basilica solemnia vota Religiose professionis contra Abbate eius loci emittit.

qualem salutis ipsius rationes requirebant, et ipse optabat maxime, Joanni se totum aperuit; quæ mente agitaret, quæ designaret in posterū de procuranda plurimorum salute, deque genere vita huic rei accommodato, ac nominatim de suscipienda Ierosolymitanæ peregrinatione, cum eo contulit omnia: de nutu, ac sententia ipsius stabiliens, quid quid deinceps admirabili studiorum, actionumque conuenientia ad obitum usque est exequutus. Quin etiam Manresæ (Oppido tres circiter leucas à Religiosissima Aede distanti) subsistere aliquandiu decreuit, unde sapientius et commodius Montem Serratum repeteret, seu Virginis colenda studio, seu spiritualis Patris conueniendi necessitate permoueretur. Deinde constituta iam Societas, Religiose Professionis vota nuncupaturus, tot inter Romanae Vrbis Basilicas,

antiquitate, ac priorum hominum frequentia illustres, non aliam delegat, quam Apostolo Paulo via Hocensi dicatam: ubi coram D. Benedicti Monachorum Abbe (ijs namque commissa est Sacrae Aedis, et Cœnobij administratio) ex sui instituti formula Sacram illam ceremoniam perageret. Demum quo tempore opportunam remotoris secessus quietem prescribendis suæ sodalitati Regulis exquirerat Casinū adiit, ibique tū libris, qui opus essent, tū unius, alterius uè Monachi subsidio à Præside instructus, ad Albanetā se contulit locum in eodem Casinati Saltu quingentos circiter passus à primario Cœnobia disunctum, eique operi, quod Ignatius moliebatur apprimè accomodatum, et habilem. Hic omni humanarum rerum cura, et cogitatione abiecta, partim assiduis precibus explorande Numinis voluntati, partim studiosè lectitandis, expendendisq; Sanctorum Patrum, qui Religiosas familias condidere, Sacris decretis, plures dies traduxit, alia ab alijs, quæ aptè videbantur ad suum institutum transferri posse (sed plura utiq; ac meliora è D. Benedicti statutis sapienter mutuatus) sanctissimas leges conscripsit, quarum postea è præxi, et usu tam ingens, ac multiplex, tam breui ad Christianam Rem publicam utilitas est deriuata, ut Orbis uniuersus admiretur, et obfuscatur. Multis præterea Deus indulgentioris benevolentiae argumentis degentem apud Albanetam Ignatium est prosequutus, tum præ-

Videt Socij animam in celum eu-

lantem.

*præfertim cum illi inter orandum socij cuiusdam è suis ( qui per id tempus Romæ obierat ) animam in Coelum subeuntem , aspectabili specie repreſentauit: ut Sanctissimus Patriarcha Benedictus videri potuerit , diuersanti domi ſuæ Ignatio , & pulcherrimo operi intento gratificari voluisse , impetrata illi diuinitus communicatione miraculi , quo ipſe apud Casinum degens , Scholasticæ Sororis , & Germani Capue Antiftitis animas ad ſuperos euolantes , clarissima in luce conſpexerat.*

S. Benedictus  
S. Ignatium  
de Calo fa-  
uoribus pro-  
fequitur.



## IOANNES TERTIVS.

## ABBAS XXX.



Oannes Tertius apud Beneuentum genere , & Archidiaconatu nobilis , inter Religiosi ſeceffus tenebras apud Casinum multo illuftrior euafit ; Hierofoly mam aliquot poſt annos à ſucepta Religione profectus , in Sinai Monte ſexennium ſanctissimè traduxit . Inde diuino monitu ad ſuos regressus , Abbatis titulo , ac potestate cohonestatur anno 999 . Aucto Sodalium numero : reſtituta meliorem in modum Claſtri disciplina ; propagato per Illyricum D. Benedicti Instituto , Monachorum , quos illuc direxerat , labore , atque industria : impetratis ab Othone , qui Casinū voti , ac Religionis , ergo inuiferat , priuilegijs , ac muneribus : templo magnificentius exculto , Sanctissimi Præſulis , maximeque frugi partes expleuit . Obijt 15. kal. Apr. Per ea tempora Lādulfus Salerni Principatu dimiſſo , ſui

Ioannes Hieroſolymam  
profectus in  
Monte Sinai  
ſexennium  
ratur.

D. Benedicti  
inſtitutū ap.  
Illyricos pro  
fert.

An. 1011.

potens, ac dominus, religiosam seruitutem apud Casinum professus est.

*Præfuit annis duodecim mensibus sex.*



### A T H E N V L F V S.

#### A B B A S X X X I.

Athenulfus  
Beneuenti  
Principis fi-  
lius.



Thenulfus Pandolfi Beneuentani Principis filius, qui Claustrum humilitatem, ac parsimonia, seculi claritatem, atq; opes sapienter cōmutarat, ex Monacho Sancti Modesti apud Beneuentum, Casinensis Abbas hoc eodem anno sublectus est.

Ab Imperat.  
alijsq; Principibus viris,  
muneribus  
colitur.

Ab Henrico Imperatore, alijsque Principibus viris, præter bina Oppida, multas item opes, ac luculenta prædia Cœnobio impetravit. Vrbem Sancti Germani à Sancto Berthario inchoatam, ædificijs, ac ciuibus insigniter auxit. Monasticæ vitæ leges, quæ tota Germania laxius, remissiusq; seruabantur, operam dedit, vt ad pristinæ seueritatis custodiam reuocarentur. Assiduis Comitum Aquinatum insidijs fatigatus, Normannorum militum cohorte (quos in auxilium aduocarat) propè Sanctum Germanum collocata, & suæ ipsius saluti, & Cœnobij rebus prudenter consuluit. Apud Henricum Imperatorem vna cū fratre Beneuenti Principe insimulatus, quod Dattum quendam interimendum curasset, Imperatori charum in paucis, ac fidelem, arrepta fuga Germanorū vim, atque insidias anteuertit. Quare Hydruntum profectus

Apud Impe-  
accusatus ar-  
repta fuga si-  
bi consuluit.

sectus dum consensa naui Bizantium ad Imperatorem properat, non longe à portu factō naufragio vna cum socijs subita maris tempestate absorbetur. Mitiore fato functurus, si prænunciatam D. Benedicti nomine tempestatem, omissa in præsens nauigatione, declinare voluisse. Auxit infortunij magnitudinem, multorum iactura priuilegiorum, quæ secum Athenulfus deferebat, quò ab Imperatore confirmarentur; vt minus mirum iā videri debeat, plura authographa (in his nominatim amplissimæ donationis à Tertullo Sancti Placidi Patre concessæ) in Casinati Tabulario desiderari. Quindecim annos, Cœnobium insigni cum laude est moderatus. Quo tempore trium Casinatis sodalitij Patrum præ ceteris religio, ac sanctitas, miraculorum frequentia enuit, Azzonis videlicet Præpositi Sancti Angeli in Valle lucis, Guinizzonis item, ac Ianuarij, quorum corpora ex Monasterio Sancti Nicolai de Ciconia, ad ædem Casinatem translata olim, & sub ara maxima collocata, longo post tempore à Simplicio Caffarello Abate inuenta, peculiari Sacello pereleganti, ad augmentum venerationem recon-dita fuere.

*Præfuit annis quindecim*

Naufragium  
fecit.  
ann. 1022.

Multa priuilegiorum Authographa Casinatis Archivij cum Athenulfo periisse.

Ap. Casinum præcipua saceritate clarescant Guinizzo, Ianuarius Nicolaus.

## THEOBALDV.

## ABBAS XXXII.



In Abbatem  
eligitur præ-  
sentibus Ro-  
mano Pôtif.  
& Imperat.

Henrici Imp.  
religio in D.  
Benedictum.

Henricus à  
D. Benedi-  
cto calculi  
morbo libe-  
ratur.

Heobaldus apud Marchiam Theatinam claris ortus parentibus, cum in Sancti Liberoris de Maiella Præpositū ageret (quem locum elegantioris architecturæ structuris spectabilē reddiderat) apud Casinum electus est Abbas, præsentibus Henrico Imperatore, & Benedicto Papa Octauo, Monachorum electionem factumq; approbantibus. Postridie electionis ab ipsomet Pontifice consecratur. Annis tredecim rerum summam apud Casinates sapietissimè administrauit, magno subditorum commodo, magna sui nominis prædicatione, ac fama. Per eos dies Henricus primus Imperator D. Benedicti numen, eiusq; sanctissimi corporis Conditorum singulari religione prosequebatur; quem etiam dicere solitum tradunt, ex omnibus Diuorum Basilicis, quas uspiam conspexisset, nullam omnino esse, quæ sibi religiosior Casinate videatur, acrioresue pietatis stimulos animo suo admoueret. Hic igitur cū apud Casinū asperrimo calculi dolore, (quo saepius vrgeri confueuerat) solito vehementius cruciaretur, Benedictus clientem suum per quietem de Cœlo inuisens, eo doloris sensu, ac molestia perfectissime in reliquum vitæ tempus liberavit. Henricus postridie mane conuocatis in exedram Theobaldo Abbe, ac monachis, humaniter ex eis sciscitatur, qua tandem mercede remunerandum censeant, cuius opera desperatam ipse

ipse valitudinem subito recuperasset; cumq; omnes exquisitis muneribus donandum pronunciassent, opesque Cœnobij promptissimis animis eam in rem detulissent: Atqui scitote, exceptit Henricus, hāc ipsam cumulatæ benignitatis mercede in me vobis dependi oportere, quorum Parens, Authorque sanctissimus, crudescēte morbi acerbitate confectum me, ac penè deficiente, proxima nocte sanitati restituit. Quæ cum diceret, prolatis tribus calculis, quos manè è lecto consurgens ex nocturna Benedicti vaticinatione egeſſerat, lacrymis præ gaudio, ac religione perfusus, fidem miraculo adstruxit.

Deinde gratijs sopiti suo cum larga pretiosæ supellectilis largitione persolutis, accepti beneficij memorem, ac gratum se præsttit. Oppidum insuper Vandæ Monasterio concessum, suæ in Casinates propensissimæ voluntatis maius adeo argumentum esse voluit. Benedictus Pontifex, qui cum Henrico per id tempus Casini morabatur, & sacri Præfules, Aulicorumq; bona pars, pro sua quisque facultate, ac censu Casinatem Basilicam eximijs donarijs perornarunt. At verò Henrici, quæ magnificentia, quæ pietas hisce finibus (quanquam latissimis) contineri non potuit. Domum regressus confessim alia insuper dona pari cum superioribus pulchritudine, ac pretio visenda, ad antiquam Benedicti sedem transmisit; dumque in animo penitus infixam religiosissimi Cœnobij sanctitatem, & pia Monachorum studia secum ipse attentius expendit; tanta perfectioris vitæ cupiditate incensus est, ut persanctè Deo spoponderit, se, ubi gravioribus Imperij curis, quibus in præsentia distinebatur, emersisset, reliquum ætatis inter Casinates, ex eorum-

Suum Sospitem, ac Tuttelarem muneribus veneratur.

Henricus religiosam vitam inter Casinates vovet

dem

## ELOGIA ABBATUM

dem instituti formula traducturum, Nec dubitari poterat, quin Henricus pro sua insigni virtute, ac sanctimonia obligatam Numini fidem summa religione liberatus fuisset, nisi mors absoluendis grauioribus Reipublicæ negotijs intentum, opinione celerius oppresisset. Theobaldi etiam magistratu Cœnobium suo aduentu, ac præsentia nobilitauit, Magnus ille Odilo Cluniacensis Monasterij Cœnobiarcha; magnus quoq; per eos dies Sæctorum prouentus fuit inter Casinates monachos: quorum è numero celebrantur in primis, Sancti Adelmannus, Paulus, & Dominicus Soranus eiusdem loci, & disciplinæ alumni. Demum Theobaldus à Pandulfo Capuano Principe, qui Cœnobij fortunas, ac bona sibi vindicare conabatur, sede pulsus, ad Sancti Liberatoris Monasterium se recepit, vbi à furioso, ac turbulentio Principe agitatus, religiosæ solitudinis quietem, atque otium toto quinquennio uberrimè degustauit. Migravit in cælum tertio nonas Iunij.

*Præfuit annis tredecim. Vacavit sedes annum circiter.*



## B A S I L I V S.

## A B B A S X X X I I I.



Asilius genere Calaber, Pandulfo Capuano Principe admittente, Monachis frustra renitentibus, Casinatem Magistratum occupauit anno 1036. tenuit annos omnino duos, ne diutius retineret, metu Conradi Imperatoris prohibitus quem.

quem inaudierat , primo in Italiā aduentu , Casinatem Abbatia n̄ è Pandulfi tyrannide in libertatem erepturum . Itaque Constantinopolim cū eodem Principe digrediēs , Monachis ius , ac libertatem reliquit , quem maximē vel- Ann. 1038. lent in eius sedem , ac locum eligendi .

*Præfuit annis duobus .*



## RICHERIVS PRIMVS.

*A B B A S XXXIV.*



Icherium natione Bauarū Cœnobij Leodiensis Abbatem , nihil impensius Casinati sodalitio ad amplissimā præfecturam commendauit , quam ipsius animi moderatio ab omni præfectura , magistratuq; admittendo , remotissima . Hūc ab insigni probitate , ac sapientia , Conrado Imperatori charissimum , Casinates moderatorem sibi delegerunt , Conrado , qui intererat , quiq; Richerio plurimum ac familiariter vtebatur , perhonorificis verbis electionē approbante Quare facili negotio , Richerius multa Oppida , Ecclesias , opulentaque munera ab eodem Cæsare , alijsq Magnatibus retulit , impetrato etiam à Benedicto nono Pontifice priulegio . Sancto Stephano Pannoniæ Regi Ordinē nostrū efflagitanti , Legatis in eā prouinciā magnæ integritatis , & doctrinæ Patribus , gratificatur . Plura Monasterij loca , alia alio tēpore à diuersis occupata denuō rededit in potestatem . Oppido S. Angeli , quod ipse

Richerius  
primus Ab-  
bas Leodi-  
ensis, deinde  
Casinas .

Conrado Im-  
peratori ac-  
ceptissimus .

Casinates pe-  
tente S. Ste-  
phano Rege  
in Pannoniā  
proficiscun-  
tur , propagā  
di Ordinis  
gratia .

K con-

construxerat, muris amplioribus circumsepto, pontem adiecit, quo Lyris fluuius securius, commodiusq; traijeretur. Diuturnis Aquini Comitum, ac Normannorū armis, præcipitique furore diuexatus, dum Cœnobij libertatem, ac fortunas constanter tueretur, ab vtrisque feliciter se expedivit: nam acceptis à Conrado Cæsare copijs, aliorumque Principum ope, ac potentia nixus, Normannos ab Oppidis Monasterij coegit ad vnum omnes excedere: in Aquini vero Comites acerbius de cælo est vindicatum, duobus millibus, ac quingentis ipso- rum Ciuibus, intra vertentem annum pestilentia extinctis. Omnibus Cœnobij Castris murorum ambitu communitis, Normannorum loco, quibus minimum fidebat, Agrestes hinc inde è Cœnobij Villis traductos, substituit. Tandem apud Aeternum fato functus, in Sancti Liberatoris sepulturæ mandatur. Rerum piè, ac fortiter gestarum immortali gloria memorandus.

*Præfuit annis septendecim cum dimidio.*



### SANCTVS PETRVS PRIMVS. ABBAS XXXV.

Præfecturam  
abdicat.  
ann. 1057.



Etrus omnium votis expetitus, contra suū votum Abbas creator, eodem anno mēse Decembri: sed admissam inuito animo gubernationem, spōte abdicavit anno, ac mensibus quinque, postquam administrare cœperat. Inde maioris otij, ac religiosæ tranquillitatis appetens, Monasteriū Sancti

An-

Angeli, in Valle lucis, suæ senectuti domiciliū elegit, cui & viuens, & vita sanctus miraculorum gloria, & assiditate ampliorem lucem, & reuerentia cōparauit. Ore, ac vultu usque adeo fuit ad religiosam pietatē, ac modestiā cōposito, ut Henricus Cæsar cū apud Casinum diuersaretur, transiunt fortè Petro assurgens affirmari, se nemini vñquam in Claustris vidisse, aspectu magis venerabili, & Angelicām speciem expressius referente. Per hos dies Ioannes Bitontinus Monachus Casinas miraculis penē quotidianis, inclauit, constructo etiam à se Lucensi Cœnobi (cui Sancti Gregorij nomen est) longe illiusrior.


*Præfuit annum, ac menses quinque.*

Apud Vallē lucis viuentis, & ab obitu miraculis corrūscat.

S. Petri religiosa compōsitiō, & molestia insignis.

## F R I D E R I C V S.

A B B A S X X X V I.



Ridericum rarissimis fortunæ muneribus clarissimū, pulcherrima ingenij, ac morū ornamenta multò conspectiorem reddidere. Regia stirpe oriundus Gozilonem Lotharingiæ Ducatus Dynastam parentem habuit, fratrem Gottifredum, cui supra auitæ ditionis opes, ducta in matrimoniu Mātilde, omniū omnis ætatis fæminarū lōgē spectatissima, Hetrusci dominatus dotales tituli, prouentusq; accessere. Ut autē ingenio erat Fridericus bonarū artiū apprimè capaci, & ad studia

Regia stirpe ortus, Parē tem habuit Gozilenem, Lotharingiæ Ducem.

pietatis propensissimo, naturæ fauentis inuitamenta  
 ductumq; strenuè prosecutus illustri sapientiæ, ac san-  
 titatis fama celebrabatur. A Leone nono inter Pur-  
 puratos Patres cooptatus Bizatium cum legatione mit-  
 titur, quò sublatis dissidijs, quibus Græci ab Latinis dis-  
 sidebant, utramque Ecclæsiam stabili inter se concordia  
 deuinciret: quo ille munere sanè arduo, & confectu per  
 difficulti, egregiè perfunctus est. Vrbe repetita cum Leo-  
 nem fatis concessisse reperisset, seculi tædio, ac satieta-  
 te captus, Casinum demigrat, vbi positis honorum in-  
 signibus ad exactam humilitatis legem se totum compo-  
 suit, eo exitu, vt biennio post communibus Monachorū  
 suffragijs Cœnobij magistratum adeptus sit. Quare de-  
 lati muneris confirmationem petiturus (nec enim fas  
 erat Casinatem præfecturam Romani Pontificis iniussu  
 adire) Florentiam, vbi per eos dies Victor secundus de-  
 gebat, se contulit, à quo non solum Abbas (quod quære-  
 batur) sed iterum etiam Cardinalis præter opinionem,  
 ac votum renunciatur. In reditu è Tuscia dum Romæ  
 etiam tum subsisteret, nunciato Victoris obitu, mirifi-  
 ca sacrisenatus conspiratione in demortui Pontificis lo-  
 cum sublegitur, adeò inuitus, ac reluctans, vt per vim  
 ex hospitio ad Basilicam Sæcti Petri ad Vincula educen-  
 dus fuerit: postridie ingenti omnium ordinum accla-  
 matione, ac lætitia consecratus, Stephani tertij appellati-  
 one insignitur. Rem Christianam, quam perinuitus  
 suscepérat, prudentissimè temperauit; siquidem adiecto  
 animo ad veteris disciplinæ instaurationem, multa piæ,  
 sapienterque constituit coercendæ Clericorum licen-  
 tiæ, & depravatis moribus corrigendis accommodata:

Ca-

Inter Cardi-  
 nales coop-  
 tatus.

Bizatium mit-  
 titur Græcā  
 Ecclesiā  
 cum Latina  
 cōciliaturus

Apud Casi-  
 num fit Mo-  
 nachus.

Creatur Ab-  
 bas,

Iterum Car-  
 dinalis.

Imitus Pon-  
 tifex renun-  
 ciatur.

Casinum inde profectus , auctoritate, ac monitis perficit, vt nonnulla tollerentur, quæ sanctissimæ disciplinæ puritati perniciosa, in Cœnobij mores per incuriam irreperant, tum Desiderio Abbatis munere, atq; insignibus exornato, Romam se retulit. Ac paulò post Petrum Damiani Rauennatæ sanctitatem, ac literis, & rerum gerendarum peritia inclytum Cœnobitā ab Eremo fontis Auellani in Vrbem euocatum, Ostiensi Ecclesia decorauit, vt tanti viri consilio, atq; opera præclaras constituendæ Ecclesiæ cogitationes, quas animo continenter voluebat, rebus ipsis facilius expleret. Henricum Imperatorem quartum, quod Sacerdotia, Abbatias, Episcopatus, aperta sacrorum nundinatione, venalia habebat, cum simoniacæ hæreseos insimulare, tum piorum cœtu prohibere non dubitauit. Mox Roberti Guiscardii consilijs, incœptisque cum se opponere decreuisset, Ecclesiasticæ ditionis limites crebris incursionibus diuexantis, in Hetruriam contendit, Gottifredi fratris auxilio opportuna belli præsidia comparaturus. Verum in ipsa rerum molitione, atque apparatu impigrè versantē præmatura mors, singulari omnium dolore, ac luctu, & summo Reipublicæ incommodo, extinxit. Pontificem egit decem menses, non amplius, quo toto tempore tā multis curis, ac negotijs distentus est, vt penè respirandi spatum non habuerit; hoc solum in summo Magistratu felicitatis nactus, quod inuite admissum, dimisit breui. Honorum insignia, & titulos, quam qui maxime fugitās, nunquam tamen nisi maximis in honoribus vixit. Quin etiam à funere multis nobilitatus prodigijs, superum beatitatem iuxta, & summam mortalium venerationem,

Casinū adit.

Desideriū Ab  
barem sibi  
substituit.Petrum Da-  
miani Romā  
aduocat.Henricum  
Imperat. sa-  
cerorum com-  
munione in-  
terdicit.

cul-

Ann. 1058. cultumque promeruit. Obiit 4. Kalend. Aprilis.  
Præfuit mensibus decem.

## DESIDERIVS.

ABBAS XXXVII.



Ximia religiosæ humilitatis species, cum in obscuris alioquin hominibus vehementer elucet, tum verò contemptas inter opes, nataliumq; claritatēm, multò luculentius splendorem suum explicat, rapitq; in sui admirationem intuentes. Hoc ipsum Desiderius noster si quis alias, suo exemplo apertissimè declarauit, qui summa generis nobilitate, cum insigni Christianæ dimissionis studio, honorumque neglectu coniuncta, maximam mortalium admirationem, atque obseruantiam promeruit. Is Beneuentani Principis filius, cum in spem amplissimæ hæreditatis, vnica Parentum proles, intenta cura educaretur, ad animi remissionem, honestasq; oblectationes, ab indulgentissimo suorum amore, paratissima habebat omnia; Verum ille cum à primis annis amores suos, ac delicias in cælo collocasset, in tanta domesticorum facilitate, ac licentia modestissimè se gerens, Claustrī potius frugalitatem, & continentiam, quàm parentum blandicias, aulæq; lenocinia sectabatur. Adulta postmodum ætate, solitudinis desiderio ad Anachoretam nescio quæ clam suis aufugit; sed diligenti, ac subita seruorum per-

qui-

Desiderius  
Beneuentani  
Principis vni  
ca proles.

In Eremum  
fecedit.

quisitione inuentus , domum inuitu animo reducitur . Tandem elato Patre, à Siconulfo Monacho sacra tonsura insignitus, eiusdem cōsilio , & opera perpetuis sui corporis custodibus prudenti calliditate elusis , noctu Salernum Beneuento contendit ; vnde postea reuocantis matris supplicationes, & lacrymas pia crudelitate reijciens, abduci se haudquaquam est passus .. Procul à Patria , cum alijs alibi religiosæ vitæ Magistris , tum per aliquot menses apud Cauense Cœnobium Alferio Abbat , viro plane sanctissimo , strenuè operam nauauit ; cuius præclarâ institutione , atq; exemplis ditatus , egregium solidæ pietatis tyrocinium fecit . Inde aliquot annis à suscepta religione Casinatis familiæ contubernium, fauente in primis Romano Pontifice, impetravit . In religiosissimum Cœnobium receptus , tametsi nihil æquè in votis habuit , quam latere , ac nesciri ; eius tamen insignis vitæ probitas , & in rebus gerendis cautio , ac solertia quædam admirabilis breui perspectæ , ac cognitæ , inuitum licet , ac repugnantem , procurandis magni momenti negotijs implicuerunt . Illum vno, eodemq; tempore Casinas cœtus ad supremam Monasterij gubernationem , illum Romanus Antistes ad honestissimæ legationis munus in rem Ecclesiæ deposcebat ; cuius desiderio , ac petitioni cum Monachorum vota ( vti par erat ) concessissent , Desiderius Apostolicæ Sedis Apocrifarius ad Michaelem Imperatorem , cognomento stratoticum renunciatur , ea tamen lege , vt expleto legationis tépore Constantinopoli in Italiam rediens , Casinatem Præfecturam capeſſeret ; Iamque iter ingressus opportunam soluendi tempestatem opperiens Barij substiterat ; cū ec-

A Siconulfo  
Monacho re  
ligioso habi  
tu donatur .

S: Alferii Ab  
batis Magi  
sterio vtitur:

Romani Pō.  
tificis opera  
interCasina  
tes admisus  
est :-

Sedis Apo  
stolicæ Apo  
crifarius ad  
Imperatore  
legatur :-

Cœnobij Casinum perlata, reuocatur ad suos: reducem ingenti omnes lætitia, summaque gratulatione excipiunt, & Parentem æquè, ac Præsidem reuerenter consulant.

Cœnobij Casinum perlata, reuocatur ad suos: reducem ingenti omnes lætitia, summaque gratulatione excipiunt, & Parentem æquè, ac Præsidem reuerenter consulant.

Accepto Magistratu Desiderius, illud antiquissimum habuit, ut monachos ab caducatū rerū cura, & solitudine expeditos, ad animorum culturam, & cœlestium bonorum commentationem serio traduceret.

Tum verò ædificationem aggressus, Monasterium quā vetustate fatiscens, quā obscuris Cellulis, angustisque ad habitādum incommodius, magna ex parte diruit, atq; aliud tūm ædium laxitate, ac numerō, tum operis elegantia, & splendore longè magnificentius restituit.

Templum subinde pro Cœnobij dignitate iterum erigere cum decreuisset, columnas, bases, epistylia, atque

alios in vīs pretiosi marmoris vim maximam, ab Vrbe Roma Casinum aduexit, ingenti sanè vel pecunia, vel labore. Artifices verò, qui vermiculati operis, ac tessellati peritia excellerent, ab usque Bizantio grandi mercede conduēti. His maxime curis intentum Abba-

tem, Nicolaus secundus inter Cardinales cooptat, eique per omnem Campaniam, Principatum, Calabriam, Apuliam vices suas amplissima cum potestate committit. Interim Desiderius cum extructam à se quinque annis perfectamque, Basilicam solemnī maxi cæremonia dedicari percuperet, Alexandro Pontifici persuasit,

ut Casinum adiens, ipsemēt eo munere præsens fungetur. Itaque festæ celebritatis gratulationem, & pompa frequens sacrorum Præsulum numerus, & honestissima clarissimorum virorum corona mirificè cumulauit; quippe su-

pe supra Monachorum centurias, & ipsum Romanæ nobilitatis florem, cum ex Italiæ totius Episcopis, & amplissimo Purpuratorum Patrum cœtu, ad quinquagintaquatuor Antistites Alexandrū Pontificem comitabantur (inter quos duodecim nostri Ordinis Cardinales eminebāt) tum verò Principes Salerni, Capuæ, Beneuenti, Neapolis; Comites Marsorum, ac Beluensium, cum sua quisq; affeclarum familia ad sacræ Dedicationis celebritatem conuenere; at verò vulgarium hominum concursus, vicinis præsertim ex Oppidis, adeò ingentes facti, ut capacissimo Cœnobio occupato, ac subiectæ Vrbis domicilijs hospitum multitudine onustis, omnia editi Montis latera, viæ omnes, & longè, latèque extensa camporum planities, concursu, vndaque populi sternerentur. Hæc autem tanta multitudo per septem dies, Desiderij studio, & charitate, liberali cibo, potuq; refecta est. Rebus hisce perfectis ad sacram supellectilem amplificandam, ornandamque conuersæ curæ: hinc cultum omnem, atque apparatus, quo Sacerdotes vel priuatim, vel cum ministris inter sacrificandum vtuntur, qui que exornandis aris, vestiendoque templo ad solemnis pompæ magnificentiā adhiberi solet, magno pretio, miraque arte elaboratum, copiosissimè comparauit. Quin etiam Victoris secundi amictus, proximè ab eius obitu Romæ diuersis in locis oppigneratos, numeratis viginti aureorum millibus redemit: magnificæ alioquin supellectilis, diues profecto, ac nobile additamentum. Porrò Candelabra, Cruces, Coronas, Lycnos, Thuribula, cum suis Acerris, aliaque id genus multa solido ex ære, argentoq; expressa prudēs prætereo; illud nō nisi inuitus præteriorim, inter sacra

Duodecim nostri Ordinis Cardinales, Casinatis Basilicæ dedicationi interfueru.

Sacrarū dītat pretiosa supellectile.

Templi instrumenta eximij cuiusdam operis, ac pretij emicuisse candelabrorum par è nitidissima crystallo : Iabrum cum aquali ; bina thuribula, calices duodecim, ac totidem patenas, fistulam, ac pyxidem ; omnia puro ex auro scitè, eleganterq; fabrefacta ; itemq; eadem materia Cruces quatuor, prægrandes duas, reliquas minores, cum thuribulo, & duabus tabulis ad aræ ornatum, gemmis intermicantibus, insigniq; artificio conspicua. Quibus tamen omnibus longè præcellebat altaris frontale solido ex auro, Constantinopoli elaboratum, pondo librarum triginta q̄atuor, margaritis, atque vñionibus præfulgens ; in quo nobilium D. Benedicti factorum argumenta scitiissimè cælata visebantur. Demum præter immensam auri, argentiq; elaborati vim, centum auri infæcti pondo, similes in usus conferenda, in sacrarij thesauris habuit ; vt hinc vnicuiq; pronū sit, Casinatis Basilicæ apparatum, & opulentiam (cui cumulandæ tam longo annorum decursu, tam multi Abbates intentissima cura studuerunt) assequi coniectura ; quoniam quidem ea, quæ nos strictim attigimus, non nisi pars eius supellectilis extitere, qua Desiderius suo Magistratu, rem sacrarij locupletandam curauit. Quamquam autē ex annuis Cœnobij vectigalibus, magna pecuniæ vis ad res sacras, Templique ornatum commodè transferri poterat ; ardenter nihilominus in eo genere Desiderij animum, insignis multorum pietas, ac munificentia longè vehementius incendit. Illū siquidē clarissimi Principes celebri virtutum fama, remotissimis etiam in locis notissimum, & summa obseruatione prosecuti sunt, & missis legationibus, donisq; exquisitissimis, coluerunt.

Magno apud  
omnes in  
honore, mis-  
sis vndique  
muneribus  
excolitur.

In

In quo religiosæ liberalitatis , ac reuerentiæ studio, Robertus Calabriæ Dux, Iordanes Capuæ Princeps, Barones , & Torkitorius Sardiniæ Reges, seipso egregiè cōmēdarūt. Neq; Alexius Comnenus Imperator destinatis nuncijs, ac muneribus ab Vrbe Bizantio , quantum Desiderij sanctimoniae tribueret, non apertissimè declarauit; hoc etiam cumulatiorem pietatis, ac munificentiae gloriam promeritus , quod cum ex ipso Imperij censu vingtiquatuor auri pondo in singulos annos Casinati Monasterio legasset, eius donationis tabulas aureo sigillo pēfili munitas , cū magna munerū copia ad Desideriū trāsmisit. Porrò Agnes eximia pietate Imperatrix , & virili virtute fæmina, admirandū reliquit posteris suæ in Casinates Monachos obseruantiae documētū : Nā Sabeæ Reginæ instar, alterum in Desiderio Salomonē , eiusq; Tēplum, ac familiā visendi studio incensa, ab vltimis Germaniæ partibus Casinū contendit, longo, ac difficulti itinere , votiuis donis cumulate instruēta ; cumq; singula curiosè perlustrans, satiari delectatione non posset; sex ipsos mēses in religioso illo secessu, nobilis hospes exegit ; quo tempore sæpe audita est cum diceret, multò maiora esse, longèq; admirabiliora, quæ ipsamet oculis præsens subiecisset, quā quæ vulgato rumore apud exteris gentes , de illius Sanctiss Collegij moribus, integritate, disciplina, amplitudine circū ferrentur . His omnibus accessit Alexander Pontifex, vti ceteris dignitate præstans, sit munera magnificantia superior ; quippe qui Desideriū , eiusq; familiā omne insigni benevolentia cōpletegens , Casinates fortunas Tarracinæ Vrbis accessione cumulauit . Reliquorū omniū commemoratione haud grauate superse-

L 2 debo,

Agnes Imperatrix ab Germania Casinum venit, ibiq; sex menses com moratur .

Alexander Pontifex Casinatisbus Vrbem Tarracinan donat

debo, qui collatis possessionibus, Castellis, Monasterijs, Ecclesijs, maximèpij in Cælites, insigniter munifici in nostros extiterunt; ne in re minus necessaria, nimis familiae nostræ blandiri videar: tantū dicā, homines præstanti religione, multisq; opibus conspicuos, non solum latifundijs, & possessionibus; sed quadraginta etiā Monasterijs, Ecclesijs verò lōgē pluribus (Desiderij presertim veneratione, ac studio permotos) Casinatem domum adauxisse. Ceterum amplissimi Cœnobij Moderator, idemq; Cardinalis legatus, quemadmodum diligentissimè prouidit, ne pietatis studium negotiorum mole, assiduisque curis imminueretur; ita liberalium artium ingenuam oblationem vel in medijs occupationibus intermisit nunquam. Extant eius ingenij, ac Religionis specimen, tres Dialogorum libri, quos Gregorium Magnum imitatus, de probatissimis sui Cœnobij viris, ac miraculis prescripsit; minus elaborata oratione illos quidem, suavi tamen stylo &, vt (ea ferebant tempora) non vulgari. Annus iam eius præfecturæ agebatur, nonus ac vicesimus, cum paucis ante mensibus extincto apud Salernum Gregorio antiquæ sanctitatis Pontifice, & ecclesiasticj iuris propugnatore acerrimo, proximis inde Cardinaliū Comitijs, Desiderius communi omnium consensu, Christianæ Reipublicæ præficitur; quo ille accepto nuncio, tanquam repentinæ calamitatis, inopinato casu perculsus, vehementer indoluit (vt qui honores, ac dignitatum insignia æquè fugiebat, at merebatur) tantumque oneris, ac periculi constanter à se reiçiens, nunquam persuaderi potuit, vt sacri senatus voluntati, decreto, precibus assentiretur. Itaque absolutum iam, confitum.

Tres Dialogorum libros conscripsit.

Pontificatus recusat.

Etumque negotium, eo solum disjiciente, qui maximè confirmaturus videri poterat, res Pontificia in præsens refrixit. Cum verò iterum aliquot post menses coacto Patrum Conuentu ad suffragia ventum esset, iterum in Desiderium vniuersi consensere, ac, ne rursum effugio relinqueretur locus, cum delatæ amplissimæ dignitatis nuncio, nec opinant̄ coccineam chlamydem injiciunt; quominus albam quoque inducerent, ipsomet contra obnitente, impediti: Nomen Victoris III. est inditum. Verum ne ita quidem res processit; nam Victor quadri-  
duo post Roma digrediens, vbi Terracinam ex itinere attigit, diserte contestatus, se Pontificem esse nolle, de-  
positis sacris insignibus Casinum ad suos remigravit. Anno demum proximè in sequente per occasionem Ca-  
puani Conuentus, cui cum ceteris Episcopis, & Cardi-  
nalibus Victor quoque præsidebat, denuo acerrimè op-  
pugnatus, cum nihil de pristina firmitate animi remit-  
teret; tum verò Sacrae Præsules vniuersi, cum Jordane  
Capuæ Principe, ac Rogerio Calabriæ Duce, ad eius pe-  
des prouoluti, omnibus precibus orare, atque obtestari,  
ne Pontificatu diutius recusando, rem christianam gra-  
uioribus incommodis affectam vellet, neuè totius Cleri,  
totque Procerum infimas supplicationes, ac vota frustra-  
ri pergeret, quibus omnino deliberatum esset, ac consti-  
tutum, neminem alium (ipso quidem superstite, ac viuo)  
ad illud dignitatis culmen euehere. Hunc in modum  
Victor aliquando vietus, sacerorum Antistitum arbitrio,  
ac potestati se tradidit. Subinde Romam deductus, ac  
ritè consecratus Pontificatū gerere instituit; quo in mu-  
nere cum ceterarum virtutum, quibus in Claustro eni-  
tuerat

Iterum Pon-  
tifica insi-  
gnia depo-  
nit.

Demum Cle-  
ri, ac Princi-  
pum preci-  
bus vietus  
Pontificati  
admittit.

tuerat, tum præsertim animi constantiæ, Imperatorijq;

Exercitum in Africā cō- roboris cumulatissimam laudem reportauit; Siquidem contra Sarace- grandi exercitu ex Italia in Africam transmisso, Sarace- nos dimittit norum vires, impotentemq; audaciam adeò fregit, ac cō-

tudit, vt primo armorum congressu, ex eis centena mil-

Insignis Vi- lia occisione occisa sint: cuius adeò celebris victoriæ læ-  
ctoria de Sa- titiam, rei gestæ admirabilis nuncius multò etiam red-  
racenis, eius- que nuncius di insigniorem; cum eodem die triumphus de Sarace-  
mirabiliter in Italia au- nis, & relatus in Africa sit, & in Italia auditus, ac cogni-  
ditus.

Pseudopon- atque inuictum se præsttit: quippe Clementem Pseudo-  
tificem Romæ diuina, humanaq; pro libidine miscé-  
tificem Roma expellit.

dum Beneuenti Ecclesiasticis rebus componendis in  
Concilio dat operam, lethali morbo tentatus, Casinum  
deportari se voluit, vt mortem tot filiorum, quos ipse  
met salutaribus institutis, atque exemplis Christo Do-  
mino pepererat, tum aspettu, atq; obsequijs suauem, tū

In Casinati Mōte mor- efficacj orationum præsidio communitam obiret. Ibi  
tem obit ann. 1087. verò acrius sœuientis morbi magnitudini succumbens

post triduum ab hac mortali vita excessit. Ita Victor præ-  
stanti virtute, ac sapientia Pontifex, vti bonorum omniū  
votis diù, ardenterq; expetitus, nimis sum serò Christianæ  
Reipublicæ clauum susceperat, sic ingenti omnium mœ-  
rore, ac luctu immatura morte præreptus, nimium in-  
tempestiue dimisit. Ceterum Religiosæ Familiæ soda-  
les, cuius ipse tot annos, & alumnus, & Moderator ex-  
titerat, in communi reliquorum dolore, ac mœstitia,  
præcipuo quodam sensu, atque angore conficiebantur;


quip-

quippe tanto Parente , ac Patrono orbati , cuius excellenti consilio , industria , religione non modo Cœnobij res , ac dignitas , sed veteris etiam disciplinæ cultus , & obseruantia , vsque adeò exerceuerant , vt viris integerimis abundarent domi , & foris præclara sanctitatis opinionem ad miraculum celebres haberentur ; nam inter solitudinem Eremi , & latebram , inter rei familiaris vel nuditatem , vel angustias cum nihil suppetit , quod oculorum sensum vehementius irritet , vel animi cupiditates acriore illecebra extimulet , atque incendat , haud fortasse ita laboriosum fuerit , sobrios , atque humiles se præbere ; at eo in Cœnobio , quod amplissimis fortunis instructum subditas sibi Vrbes , atque Oppida temperabat ; quod Regum , Imperatorum , Pontificum frequenti aduentu , atque hospitio celebrabatur : vnde tanquam è Seminario Antistitutum regendis populis Episcopi , ornandæ Ecclesiæ Cardinales , occupando Petri Solio Pontifices accersebantur , nihilominus inter domesticorum purpuram , & infulas , inter splendorem , ac maiestatem superuenientium quotidie hospitum ita versari , ac viuere , vt vltro delati honores , non nisi adhibita vi , atque imperio superiorū admitterentur ; id vero quoniam nisi ab excellentissima virtute proficiisci non poterat , singulari cū approbatione , summisque omnium gentium laudibus perulgabatur . Fuit igitur hæc , eritq; in posterum semper , quandiu apud homines virtus , ac pietas aliquo loco erunt , Casinensium Monachorum sanctitatis , & gloriæ immortalis prædicatio , inuentos olim , quj abdicatis Principatibus , ac Regnis ad ipsorum familiare contubernium , summa voluntate transferint ; nec defuisse , qui

ad

ad supremum inter mortales honorem euocati , non nisi  
 inuiti , ac repugnantes ab eorum conuictu , & societate  
 discesserint . Per ea tempora inter Casinates sanctita-  
 te , ac literis viguere , Albericus Cardinalis , qui Beren-  
 garium Hæresiarcham deuicit , ac profligauit ; Con-  
 stantinus Africanus , totius rei medicæ eximius il-  
 lustrator . Guaiferius Salernitanus : Ama-  
 tus Episcopus , & Alfanus Salerni  
 Archiepiscopus , cum alijs  
 plurimis , eadem  
 integrita-  
 tis ,  
 & doctrinæ laude  
 insigni-  
 bus.


*Præfuit annis viginti nouem ,  
 mensibus quatuor , diebus  
 quindecim .*



BEATVS

## BEATVS ODORISIVS.

ABBAS XXXVIII.



ASINATIS sodalitij Patres ob recentem Victoris Papæ obitum graui mœrore consternatos, Odorisius excellenti vir probitate, ac iudicio, suscepta Cœnobij gubernatione maiorem in modum confirmauit. Hunc perhibent, cum vitæ purioris institutum à

E Marsoru  
Comitum fa  
milia.

prima ætate in Casinati domo arripiisset, honestissimæ Marforum Comitum familiæ, vnde genus trahebat, insigni rectè factorum gloria, plurimum splendoris addidisse. Adeo rerum humanarum contemptus, cœlestium amor, & meditatio, diuinæ lectionis studium, & totius Regularis disciplinæ obseruantia, in eo etiamnū infante eminebant, vt Cœnobitarum Præses egregiam pueri īdolem admiratus confirmauerit, Odorisium aliquando ad sacri Monasterij præfecturā promouendum. Neque prudentis viri prædictio non cœlestis oraculi euénium sortita est. Siquidem maioribus in dies incremen-  
tis inter probatisimos sodales efflorescentem, Nicolaus secundus Primorū Ecclesiæ Patrum collegio adiunxit. Quia ille dignitate cumulatus, nihil de pristina viuendi consuetudine detraxit, immutauit nihil. Non discessum à Cœnobia, nō omissæ cōmunis disciplinæ fūctiones, nō antiqua humilitatis contentio, nō ingens proficiendi ardor imminutus; quin à Desiderio Abbe fratrū vniuersitatī, & Clauistro Prepositus, sacros Religionis ritus, & decreta

Cardinalis  
creatur à Ni  
colao secū-  
do.

M ma-

Ann. 1060

maiore quam antea studio custodiens , eandē disciplinæ obseruantiam à reliquo etiam Monachorū cœtu requirebat . Plures annos in hoc munere accuratè obeundo versatus , demū imminente Victoris obitu , qui Casinatis Abbatis nomen , & munus , ne in ipso quidem Pontificatu deposuerat , nolens , ac reluctans ad Cœnobij regimen , vniuersis fratrum suffragijs sublegitur . Quoniam verò cū insita virtute animi , tum proximo Desiderij exēplo ad res præclarè gerendas incitabatur , Monasteriū longè amplissimū per annos septendecim singulari sanctitate , ac sapientia procurauit . Ad antiquas possessio-nes , & vestigalia magnæ per eum accessiones factæ . Domus suppellectile , ornatu , ædificijs locupletata : quibus necessario ad vietum , cultūq ; Cœnobitæ vtuntur , ex Regulæ præscripto abundè suppeditata : autæ sanctitatis no-men , quod apud exteris gentes de Casinati familia increbuerat , auetum potius , quam villa ex parte imminutū . religiosissimæ vitæ documentis , nusquam à domestica consuetudine recedens , alumnos suos ad omnem temperantiam , ac probitatem , veluti admotis calcaribus permouebat . Oppida præcipue Fregellarum ( vulgo Pon-tis Curui ) Aquæ fundatæ , Mortulæ , Cucurutij , Vandræ , Fractarum , Casinati ditioni subiecit , & Fractas postmodù rebellantes , adductis copijs iterato in potestatem rededit . Corpora DD. Augustini , & Paulini Sanctissimi Patris Benedicti discipulorum à se reperta , in Templo Sancti Andreæ ( quod Casinati in Monte construxerat ) honorificè collocavit . Denique Odorisius Abbatis , & Cardinalis partes , ac munus tam laudabiliter exer-cuit , quam inuito animo admiserat . Ut enim optimus quis-

quisque ab honorum titulis, & dignitatibus longissime abhorret, sic fere animaduersum est, maximas vtilitates, & commoda in Religiosas familias hab illis. Rectoribus profecta, qui non nisi Præsidum nutu, & atque imperio adacti, præfecturas, & Magistratus curauerunt. Obiit sanctitate, & doctrina inclitus quartononas Decembris. Odorisio Abbe Urbanus secundus vetere superiorum Pontificum instituto, Casinū venit, ipso Sanctissimi Patriarchæ priuilegio, vbi laterum dolore penè exanimatus, integræ valetudini ipsomet opitulante Benedicto, est restitutus.

• Sedit annis decem, & octo.

Ann. 1105

Urbanus II.  
ap. Casinum  
D. Benedicti  
ope, grauissi-  
mo morbo  
liberatur.

### X X X I I I A B B A S



ABBA S XXXIX.



THO nobilis Fundensium Comitum progenies, cum ingenio, probitate, ac rerum usu inter ceteros excelleret, vnamimi. Monachorum consensu, eodē anno Casinati Abbatiae præficitur. Exiguo tempore (anno videlicet, ac mensibus decem,) non exigui fructus obiuit Magistratum. Singula Cœnobij Oppida vallo continent, ac firmo mœnium ambitu inclusit: Aquinatum Comitum audaciam eadem Monasterij loca, contra ius, fasq; inuidentium, repre-

è Fundensiu  
Comitum  
prosapia.

Eius in Cœ-  
nobium be-  
neficia.

sit. Alexius Comnenus Imperator, cum hospitalem domum D. Benedicti studio, ac religione permotus, sua impensa Casini aduenientibus peregrinis patere iam antea voluisset, Othonis tempore ingentia dona per suos eodem transmisit. Mortem obiit Otho Kal. Octobris, iuxta Ecclesiam Sancti Andreæ sepultus est.

Ann. 1107

Præfuit annum, ac menses decem.



## S A N C T V S B R V N O.

A B B A S X X X .



Aererem sanè anceps, ac dubius, vtrumne ambitioni audius honores appetant, an Bruno studiosius contempserit; nisi mihi certò liqueret, ardenter homines Cælestis gratiæ præsidio ad virtutem, præclarasq; actiones, quam depravatae, corruptæq; naturæ instinctu ad sésus lenocinia, vitiorūq; turpitudinem trahi. Ac Bruno quidem, cum primum rationis beneficio vti licuit, ad Christianæ legis normā accuratè institutus, ab ipsis propè cunabulis in studio, vsuq; rerum diuinarum facillimè acquiescebat; quo minus mirere, si, postquā ætate, & consilio adoleuit, Sacras etiam præfecturas constantissimè repudiauit; quas degustatæ Spiritus suavitati, ob curarum assiduitatem, & copiam, impedimento esse, saluti verò animæ maxime periculosas, arbitrabatur. In Gallia Cisalpina parentibus

In Astensi  
Monasterio  
pueritiā tra-  
ducit.

tibus pijs æquè, ac nobilibus ortus, ætatis primitias in Astensi Monasterio innocenter traductæ, rerum omniū Creatori Deo sacrauit. Tum grandioratu in Etruriam discedens, Senis in Templo maximo, magna sodalium approbatione, Canonicum aliquandiù egit. Inde cum sublimioris instituti desiderio teneretur, Romam seculo renunciaturus, se contulit. Verum, qua in Vrbe res ex animi sententia processuras crediderat, votis suis maximè contrarias offendit. Nam, cum fortè per eos dies Gregorius septimus inquieti roboris Pontifex, coacto Patrum conuentu impiam Berengarij opinionem de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, ut cum maximè oppugnaret; Bruno Petri cognomento Ignei, Episcopi Albanensis inuitatu, cuius hospitio vtebatur, egregium eruditionis, & ingenij specimen edere coactus est; catholica veritate in frequenti doctissimorum Præsulum confessu aduersus Berengarium strenuè propugnanda. Quare illum aliquantò post, Paschalis Papa Segniensis Ecclesiæ Antistitem spontè designatè. Sed Brunone acriter repugnante, atque infimis precibus nullum non mouente lapidem, quo illud à se oneris remoueret, Pontifex, ne pro imperio, ac potestate cum eo agens, præsentis animum grauius offenderet, rem totam prudenti artificio vsus, hunc in modum transegit. Brunonem segniam adire iusso, vt idoneum Pastorem destituto, atq; orbato gregi suo nomine constitueret, clàm interim per literas segniensibus imperat, ipsum simul ac, eò peruerterit, Episcopum sibi adoptent, hominem rara probitate, excellentiè sapientia ornatisimum. Paschalis voluntati, præceptisque segnienses haud segniter obtemperarunt.

Senis Canonici  
natus deco-  
ratur.

In Romano  
Concilio Be-  
rengarium  
confutat.

Per fraudem runt. At Bruno ut pia fraude delusum se, & in eius præcreatus Episcopos, oculi fugam animaduertit, & occulte fugam meditari, & adornare molitur.

Iamque concubiae noctis silentio, ac tenebris confisus abibat gaudens, cum elegantissima specie Virginem immenso lumine, ornatisimoque vestitu præfulgentem obuiam habuit, quæ se sponsam esse contestata; quam ille per tenebras male sano consilio desereret, regressum ad Ecclesiam imperat, cuius illi cura diuino nutu, ac voluntate obtigisset. Haec specie, atque his verbis percussus Bruno retulit pedem, seq; segniensibus restituens, populum suæ fidei cõmissum omnibus eximiae charitatis officijs excoluit. Verum cū plures annos in tradita sibi vigilia ita excubasset, vt ieiüs sanctitatem celebrarent omnes, monitis, ac beneficentia induarentur, tandem solitudinis desiderio vinctus, Casinum ex insperato profugit, ubi efflagitata Monachorum societate, atque habitu, incredibili cum alacritate donatur. Interim segnienses comperto Brunonis discessu, per internuncium à Summo Pontifice instantissimis precibus exposcere illum, ac repetere, nec dubium, quin æquisimo postulatu, & querimonij permotus Pascalis, Episcopum ad suam Ecclesiam è Cœnobio remigrare compulsurus fuisset, nisi interposita Odorisij Abbatis supplicatio, & auctoritas Casinatè cōmorationem Brunoni confecisset. Tametsi religiosi secessus diu, ardenterque expediti cælestes delicias delibare potius per interualla, quam continenter degustare, atque experiri permisus est. Geminam legationem Romani Pontificis iussu obiuit, alteram ad Rogerium Apuliæ Comitem, alteram cum Boamundo Antiochiæ Princi-

Casinum au-  
fugit.

Geminā le-  
gationē obit  
Pontificis  
iussu.

pe in

pe in Gallias ; vbi Apostolica auctoritate , ac præcepto Synodum etiam celebrait . Inde Italiam repetens paratis in itinere Grassatorum insidijs circumuentus , ita eos perterrituit emicante ex oculis , totoque vultu splendore , vt accidentes ad eius genua , destinati facinoris , veniam demisse petierint , & qui Brunonem pecunia , equis , ceterisq; rebus , quas secum habebat , itineri necessarijs , spoliaturi inuaserant , eundem immutata subito voluntate , per infesta latrocinijs loca , ne quid damni patetur , officiosissimè deduxerint . Igitur Casinum regres-  
Ann. 1107.sus in demortui Abbatis locum , totius sodalitij consensu eligitur . Monachorum in eo promouendo deliberationem , Paschalis Papa , qui sub idem tempus Casinum aduenerat , mirificè approbavit . Quin etiam illud in Brunonis commendationem addidit Pontifex , dignissimum illum esse , cui , se vita functo , Christianæ Republicæ gubernacula traderentur . Casinibus postea cum aliquo annis præfuisset , admirabili sanctitate , ac solertia , Summi Pontificis imperio ad Segniensem Ecclesiam se retulit . Sed enim religiosi sodalitij benevolentiam , &  
An. 1111.familiarem conuictum , non solum integerrimæ vitae sanctissimis exemplis , & frugiferâ Cœnobij moderacione , sed plurimi etiam perelegantis ingenij fœtibus cumulatissimè rependit . Casini quamdiu moratus est , tū sacros veteris instrumeti libros ferè omnes , Diuinamque Ioannis Apocalypsim eruditis commentarijs explicauit , tum centumquinquaginta quinque homilias , conciones verò sexaginta nouem edidit , singulis Dominicis diebus , & Diuorum natalitijs , quos Catholica Ecclesia quotannis præcipua religione colit , accommodatas . In Episco-

Plurima re-  
liquit sui in-  
genij monu-  
menta .

patu

patu plures adhuc annos adlobitum vsque perdurauit.  
 Segniensibus maximè charus, ac salutaris. Migravit in  
 Ann. 1125. Cælum anno 1125. pridie Kal. Septembris miraculorū  
 frequentia, & magnitudine nobilitatus. Itaque siue admirabilem eius vitæ innocentiam, siue impensum iuuandis hominibus studium, ac laborem, siue religiosæ vitæ flagrantissimum studium, exactissimamq; disciplinam,  
 siue gestas pro Ecclesia legationes, siue libros piè, luculententerque conscriptos perpendas, Brunonem virum planè admirabilem affirmaueris, & cuius Christianæ Republicæ ordini, siquem alium maximè salutarem.

*Præfuit annis tribus mensibus decem.*

G E R A R D V S.

A B B A S. X X X X I.



E Marforum  
Comitū stirpe ortus.

Asinates Brunone ad Ecclesiam Segniensem reuerso, Cœnobij regimen Gerardo è Nobilissima Marsorum Comitum stirpe demandarunt, non tam generis clari tate, quā virtutis, ac solertiæ præstantia adducti. A' Paschali secundo Pōtifice consecratus mense martio, Decretum recepit de tuta honorum Monasterij possessione. Idem cum Paschali Beneuentum proficiscitur, ibidem celebrandæ synodo interfuturus. Comparato exercitu Castrum, Suium Monastrio recuperauit. Roccam Ianulæ (Aligerni Abbatis

batis opus) iam præ vetustate collabentem, Germanen-  
sium fidei diffisus, restituit, munivitque. Insuper Op-  
pida Fregellarum, Cardeti, Viticosi, ac Suij, mūris, ac  
turribus vallauit. Multis præterea Ecclesijs, & bono-  
rum copia Cœnobium auxit; Principum virorum insi-  
gnem erga se liberalitatem expertus. Multorum per  
eos dies præclara virtus, & illustria miracula apud  
Casinum enituere. Ioannes Caietanus S. R. E. Cancel-  
larius è Monacho Casinate in Summum Pontificem ele-  
ctus est, Gelasij secundi appellatione. Tandem Gerar-  
dus relata prudentis, ac religiosi moderatoris haud sa-  
ne mediocri commendatione, decessit decimo sexto Kal.  
Februarii. Ann. 1123

Cœnobio in-  
signiter pro-  
dest.

Plures apud  
Casinū San-  
ctitate cla-  
rescunt.

Prefuit annis quindecim mensibus tribus.



## ODORISIVS SECUNDVS.

### AB BAS XXXXII.



Dorisius Sangrorum Comitum sanguine, & Romana purpura Paschalis secun-  
di beneficio clarissimus, ex Præposito  
Monasterii in Abbatem sublectus, à Ca-  
listo secundo consecratur. Missis in Dal-  
matia Casinatibus Monachis, nostrū Or-  
dinē, atq; institutū in eas Regiones importauit. S. Angeli  
Oppidanos obediētiā, & obsequiū Cœnobio detrectates,  
conscriptis copiis ad officium, & reuerentiam reuocauit.

Sangrorum  
Comitū no-  
bilitate, &  
Cardinalatu  
illusterrimus

Monachi Ca-  
sin. Ord. suū  
in Dalmatiā  
inuehunt.

## ELOGIA ABBATVM

Picano Oppido multisq; Ecclesijs rem Casinatem dita-  
uit. Eruditione simul, ac rerum vsu conspicuus, plura  
reliquit sui ingenij, ac doctrinæ monumenta. Postre-  
mò Honorij Pontificis iussu Abbatis onere, ac Præfectu-  
ra se remouit.

Ann. 1126

*Præfuit annos tres, menses quatuor, dies quindecim.*



## NICOLAVS.

## ABBAS XXXIII.

**N**ICOLAVS Tusculanus parum concordibus  
Monachorum studijs occupato Magistratu, cogi-  
tur se abdicare tanto muneri impar.

Ann. 1127

*Præfuit annum integrum, ac mensem cum dimidio.*



## SENIORETVS.

## ABBAS XXXIV.



Enioretus longè melior, & Naturæ do-  
tibus, & doctrinæ præsidijs, Casinatem  
Sedem Nicolai discessu vacatē obtinuit:  
fauente in primis Honorio Pontifice, à  
quo etiam paulò post est consecratus.  
Hic coacto milite Castra Monasterij  
ab iniustis possessoribus recuperavit. Casinates fortu-  
nas impetratis Magnatum liberalitate priuilegijs, san-  
ciuit

ciuit, plurimis obtentis muneribus amplificauit. Cœnobij libertatem diu inuicto animo propugnas, à Rogero Rege peruicaciter impugnatur: hinc non tam senio, quam ærumnis, ac mœrore confectus decessit è vita, hoc in primis nomine apud posteros cōmendādus, quod Ann. 1136 suo exemplo præmonstrauit, in defensione Sacrorum, naturæ potius, quam cuiusuis potentiae, atque iniurijs concedendum.

*Sedit annos nouem, menses sex, dies viginti.*



## R A I N A L D V S P R I M V S.

*A B B A S X X X X V.*

**R**AINALDUS Calamentanus tumultuosè per seditionem Senioreto subrogatus, malè partam administrationem, nihilo meliori arte, ac sapientia retinuit. Itaque ab Innocentio Papa mense Septembri Præfectura deiicitur. Ann. 1137

*Præfuit annum, ac menses septem.*



## G V I B A L D V S.

*A B B A S X X X X V I .*

**L**OTHARII tertij Imperatoris studium, ac pietas, quæ tum alias, tum hoc præsertim tempore in Casinatem domum penè supra fidem eluxit, cogit nos, nedum admonet, atque inuitat, ut de Guibaldo

Rainaldi successore acturi, ipsius quoq; acerrimam animi contentionem pro sacri sodalitij dignitate, ac tutela suscep tam, latius hoc loco prosequamur; nec enim nobis fas est eius rationes ab Casinatum rationibus seiungere, cum quibus ipse voluit esse coniunctissimas. Lo tharius itaque Innocentij Papæ rogatu, militem in Italiā deportaturus, Casinati Abbatij per literas demonstrauit, se ipsius Monasterij iura, & fortunas, ceterorum more, atque exemplo Imperatorum, studiosissimè defensurū:

Imperator  
in Italiā vē-  
turus Abba-  
tē Casinatē  
per literas  
certiorē fa-  
cit.

in quā sententiam Rachiza quoq; Imperatrix ad eundē perscripsit; nec maior extitit vtriusq; alacritas in deferēda, quam in præstanta ope solicitude. Erat Innocentius iam pridem Casinati sodalitio sānē iratissimus, quod

Monachi Anacletum ipsius competitorem, atque æmulum legitimis suffragijs in Vaticano solio collocatum existimantes, eidem adhæsissent in schismate. Cumque Pontifex repressis iam Romæ utcunque partium dissidijs, indicto Amalphim Conuentū, vna cū Cæsare, eiusq; copijs, ad Lacum Pensilem consideret; Casinates Lo tharij consilio, ac monitu, quo voluntariæ crimen de fectionis ab Romana Sede falsò sibi obiectum, coram diluerent, eodem perrexerunt. Quorum aduentu cognito, Innocentius pœnarum denunciatione, quibus eos subiucere decreuerat, durior omnino, acerbiorque futurus videbatur. Quare Imperator hortari, ac rogare, vt mitiora in homines religiosos, ac leniora consulere in animum induceret, quibus æquum erat, eo faciliorem se præbere, quod non animi malignitate, ac pertinacia; sed germani Pontificis ancipiti adhuc, incertoq; rumore adducti, Anacleto paruissent. Mox Aulicorum Sacra-

tiq;

tiq; Ordinis nobilissimos quosq; eidem supplicatum submittere . Quos omnes ipsa postmodum Imperatrix sequuta , adhibitis magno animi ardore precibus, contendit Pontificis mentem Casinati Collegio mitigare ; sed cum parum omnino proficeretur ab omnibus , nec ad lenitatem Innocentius se daret ; tum verò Cæsar ad illum rediens ; Quoniam quidem , inquit , Ego tam multis incommodis , ac laboribus pro salute Italiæ , pro defensione sacrorum , pro communi Christianæ Reipublicæ bono , ac pace perfunctus , non sum apud vos tanti , vt religiosissimis viris , tam grauiter , seuerèq; multatis piaculi moderationem , ac redditum in gratiam , à vobis exorem ; apertè edico , ac denuncio , me itidem cum Ecclesia Casinati posthac à vobis dissensurum . Ad quam Imperatoris vocem , cum vniuersus exercitus , qui circumstebat , succlamasset : tum Pontifex , vel periculi metu , vel postulati æquitate , vel acrioris Cæsaris oratione , doloreq; permotus , ex eiusdem sententia , atq; arbitrio , nostrorum hominum causam humaniter , atq; honorificè transegit . Soluto deinde apud Amalphim conuetu , Innocentius , ac Lotharius vna cum Bernardo Clareuallensi Abbatे Santissimo Casinum adiere , Monachorum studia ( si qua inter eos , vt fit super noui Præfusoris eleccione controuersia , dissidiumue incidisset ) sua præsentia , atque authoritate conciliaturi . Rainaldo itaque Magistratum abdicante , cum Monachi in vnum conuenissent de successore acturi , Lotharius ipse cum ijsdem Monachis hac super re consultare aggressus , à primo mane ad vesperam , memorabili patientiæ , amorisq; exemplo , iejunus in Casinati Exedra perdurauit , donec Patres sublati discordijs , vna-

Vt Casinates Pontifici cōciliet streue contendit .

Innocentius  
Pontif.  
Lothar. Imp.  
Bernardus  
Abbas,  
Clareuall.  
Casinū adeunt .

Memoran-  
dum Lotha-  
rij amoris ,  
ac patientiæ  
documentū .

nimi

Rainaldi successore acturi, ipsius quoq; acerrimam animi contentionem pro sacrī sodalitij dignitate , ac tutela suscep tam, latius hoc loco prosequamur ; nec enim nobis fas est eius rationes ab Casinatum rationibus seiungere, cum quibus ipse voluit esse coniunctissimas . Lo tharius itaque Innocentij Papæ rogatu, militem in Italiā deportaturus , Casinati Abbatū per literas demonstrauit, se ipsius Monasterij iura, & fortunas , ceterorum more, atque exemplo Imperatorum, studiosissimè defensurū :

Imperator in Italiā vē-  
turus Abba-  
tē Casinatē  
per literas  
certiorē fa-  
cit.

in quā sententiam Rachiza quoq; Imperatrix ad eundē perscripsit; nec maior extitit vtriusq; alacritas in deferēda, quam in præstanta ope solicitude. Erat Innocentius iam pridem Casinati sodalitio sanè iratissimus , quod

Monachi Anacletum ipsius competitorem , atque æmulum legitimis suffragijs in Vaticano solio collocatum existimantes , eidem adhæsissent in schismate . Cumque Pontifex repressis iam Romæ utcunque partium dissidijs, indicto Amalphim Conuentū, vna cū Cæsare, eiusq; copijs , ad Lacum Pensilem consideret; Casinates Lo tharij consilio , ac monitu , quo voluntariæ crimen de fectionis ab Romana Sede falsò sibi obiectum , coram diluerent , eodem perrexerunt. Quorum aduentu cognito , Innocentius pœnarum denunciatione, quibus eos subiçere decreuerat, durior omnino , acerbiorque futurus videbatur . Quare Imperator hortari , ac rogare , vt mitiora in homines religiosos , ac leniora consulere in animum induceret, quibus æquum erat, eo faciliorem se præbere , quod non animi malignitate , ac pertinacia; sed germani Pontificis ancipiti adhuc , incertoq; rumore adducti , Anacleto paruissent . Mox Aulicorum Sacra-

tiq;

tiq; Ordinis nobilissimos quosq; eidem supplicatum submittere. Quos omnes ipsa postmodum Imperatrix sequuta, adhibitis magno animi ardore precibus, contendit Pontificis mentem Casinati Collegio mitigare; sed cum parum omnino proficeretur ab omnibus, nec ad lenitatem Innocentius se daret; tum vero Cæsar ad illum rediens; Quoniam quidem, inquit, Ego tam multis incommodis, ac laboribus pro salute Italiae, pro defensione sacrorum, pro communi Christianæ Reipublicæ bono, ac pace perfunctus, non sum apud vos tanti, ut religiosissimis viris, tam grauiter, seuerèq; multatis piaculi moderationem, ac redditum in gratiam, à vobis exorem; apertè edico, ac denuncio, me itidem cum Ecclesia Casinati posthac à vobis dissensurum. Ad quam Imperatoris vocem, cum vniuersus exercitus, qui circumstebat, succlamasset: tum Pontifex, vel periculi metu, vel postulati æquitate, vel acrioris Cæsaris oratione, doloreq; permotus, ex eiusdem sententia, atq; arbitrio nostrorum hominum causam humaniter, atq; honorificè transegit. Soluto deinde apud Amalphim conuetu, Innocentius, ac Lotharius vna cum Bernardo Clareuallensi Abbe Santissimo Casinum adiere, Monachorum studia ( si qua inter eos, vt sit super noui Præfusoris eleccione controversia, dissidiumue incidisset ) sua præsentia, atque authoritate conciliaturi. Rainaldo itaque Magistratum abdicante, cum Monachi in vnum conuenissent de successore acturi, Lotharius ipse cum ijsdem Monachis hac super re consultare aggressus, à primo mane ad vesperam, memorabili patientiae, amorisq; exemplo, iejunus in Casinati Exedra perdurauit, donec Patres sublati discordijs, vna-

Vt Casinates Pontifici cōciliet streue contendit.

Innocentius  
Pontif.  
Lothar. Imp.  
Bernardus  
Abbas,  
Clareuall.  
Casinū adeunt.

Memoran-  
dum Lotha-  
rij amoris,  
ac patientiz  
documentū.

nimi

nimi consensione Guibaldum sibi Antistitem delegere. At verò eximiæ Lotharij pietatis apud Casinum, hæc præfertim argumenta referuntur. Cœnobij Templa ( quatuor numerabantur ) nudis pedibus de nocte inuisiebat: quotidie mane ( quod solempne illi, ac perpetuum

Eiusq; pie-  
tas, ac Mo-  
naстicæ dis-  
ciplinæ arden-  
tissimus ze-  
lus.

in Imperio fuit ) ternis sacris intererat; singulas Monasterij officinas solus accurate perlustrans, sedulò prouidebat, ne sanctissimarum legum decreta, & diuturno

vnu firmatæ consuetudines temerè à quoquam violarentur; Adeò Lotharium, cuius vnius humeris Romani Imperij moles nitebatur, tot inter grauissimas curas, & occupationes, illud in primis anxium habuit, ac solicitu, ne D. Benedicti disciplina quidquam detrimenti caperet, neue minus integrè, ac religiosè quam par esset, à suis servitoribus coleretur. Quò magis illorum socordiam ne, an dementiam? demireris, ( si qui tamen huiusmodi reperiuntur) qui monasticæ disciplinæ, sacroq; ordini tuendo præfecti, summo in otio, curarumq; vacuitate, nullis præterea impedimentis, nullis occupationibus impliciti, sanctissimas tamen leges, vel stolidè ipsimet perfringūt, vel certè ab alijs passim negligi, ac vilipendi, nec magnopere laborant, nec molestissimè patiuntur. Verum his

Guibaldo-  
tes, ac di-  
gnitas.

iām omisis ad Guibaldum Abbatem reuertamur. Hic natione Lotharingius, instituto, ac professione Stabulensis monasterij apud Leodium conuictor, insigni probitate, ac liberalium artium peritia nobilis, supremo inter suos Magistratu, & Imperatoris studio, ac benevolentia apprimè florebat. Eum Lotharius secum in Italiam traduxerat, sapientissimi viri consilijs, fideliq; opera ysurus, ad res Ecclesiæ, atq; Imperij, quæ magnis fluctibus iactabantur,

bantur, prudenter, matureque componendas. Illum  
dénique Casinati sodalitio in Abbatem efflagitanti, pro  
suo in eam domum incredibili amore, libenter conces-  
serat. Tametsi Casinatibus tam insigni beneficio do-  
natis, neque Lotharii benignitas, neque Guibaldi vir-  
tus, ac solertia diù potuit opitulari; siquidem post Cæ-  
faris ab Italia discessum, Abbas Rogerij Siciliæ Regis  
indignationem, ac potentiam veritus, Cœnobio exitium,  
minitantis, relictâ Casinati administratione, ad suos in  
Germaniam regressus est, eodem anno, quarto nonas  
Nouembris.

Ann. 1137

*Sedit menses duos.*



## RAINALDVS SECUNDVS.

ABBAS XXXXVII.



Ainaldum è nobilissima Marsorum Co-  
mitum prosapia Monachum Casina-  
tem, vitæ innocentia, morum graui-  
tate, ac longo rerum vsu, diuinis, hu-  
manisq; literis egregiè instructum, Pa-  
tres in Guibaldi locum sublegere, eodē

anno 17. Kal. Decembis. Ab Innocentio consecratus,  
haud multò post inter Cardinales adscribitur. Præfectu-  
ram gessit octo, ac vigiti annorum, & mensium octo,  
longam æquè, ac difficilem; sed tanta animi virtute, &  
constantia, vt rerum aduersarum multitudine circun-  
uentus, nunquam tamen superari potuerit. Reges, ac  
Regna,

Rainaldus  
Marsorum  
Comitū fi-  
lius, multis  
animi orna-  
mentis, Casi-  
natibus co-  
mendatur.

Fit Cardi-  
nalis.

Rogerij Siciliæ Regis in Casinatem domum maleficia.

Regna, quæ aduersus illum facta conspiratione coniurauerant, non modò sustinuit intrepidè, sed incredibili etiam æquanimitate, ac patientia mitigatis aduersariorum animis, sibimet conciliauit, ac deuinxit. Rogerius Siciliæ rex, Rainaldi electionem molestissimè ferens, Cœnobio, eiusque locis omnibus terrorem, atque exitiū intentabat, &c., ut dictis reipsa fidem faceret, quidquid auri, argentiq; in thesauris habebant Casinates, simulq; auream tabulam eximij operis, ac pretij, quæ D. Benedicti aræ diebus festis solemnioribus prætendebatur, per vim, ac scelus asportauit. Oppida S. Angeli, S. Victoris, S. Petri in fine, Camini, Cardetti, Vandræ, & Pedemon-tis subiecto igne deformauit: alijs præterea detrimen-tis, & calamitatibus, quoad vixit sacro Cœnobio impor-tatis: quamuis Oppida, quæ hostili impetu sub initam à Rainaldo administrationem occupauerat, restituit spon-te. Rogerio nihil mitior in Abbatem, & Monachos extitit Guilielmus itidem Siciliæ Rex: Omnes ab eo (duodecim exceptis) Casino exacti: vniuersa Monaste-rij Oppida in suam ditionem redacta, murorum ambitu denudata: sed paulò post immutata diuinitus Guilielmi mens, Abbas in gratiam receptus, Casinates in pristinā bonorum possessionem benignè reuocati: Ludouicus Fraciæ, Rogerius, & Guilielmus Siciliæ, Gunnarius Tur-ritanorum Reges, Rainaldo Abbe diuersis temporibus Casinum religionis ergo profecti, quæ liberalitate mu-nerum, quæ priuilegiorum concessione, ipsius magistra-tum insigniter nobilitarunt: sed ipse multò nobiliorem reddidit excitato in Comitatu Pennensi Oppido (cui S. Martini in Salinis est nomen) subleuata Cœnobij disci-

plina,

Rainaldus  
quaupor Re-  
ges hospitio  
accepit.

plina, retento in omni gubernatione eodem sanctitatis, & constantiae tenore, nullis vñquam laboribus, nullis incommodis pro tuenda Monasterij re, ac liberitate succubens; aduersariorum terrore, minis, impugnationibus vbiique superior, donec ætate, ac meritis grauiſ fato cœſit, idibus Iulij.

Ann. 1166.

*Præfuit annos octo, ac viginti, et menses octo.*

### THEodosius.

#### ABBAS XXXVIII.



HEODOSIO, propter eximias do-  
tes à Monachis Magistratus Casinas, ab  
Alexandro Pontifice, Cardinalatus ho-  
nos delatus est, eodem anno. Septem  
mensium spatio, quibus sacrum Soda-  
litium rexit, magna prædiorum parte  
ad Oppidum Fresellarum recuperata, neque paruam  
sibi laudem, neque paruum Monasterio emolumentum  
tantillo tempore comparauit. Extinctus est  
pestilentia mōrbo, dirum in mo-  
nasterio, dum tota Italia debaci-  
ta erat cantis. ut in  
Præfuit mensibus  
septem, rendit  
O misericordia misericordia

Ann. 1167

O

AEGL

## ÆGIDIUS.

## ABBAS XXXIX.



Ann. 1170  
Egidius Venusinus anno eodem electus est Abbas, ab Alexandro Papa consecratione, ac priuilegio in rem Cœnobij decoratur; sed tertio administrationis anno, cum ipsius potissimum incuria, & neglectu sacri instituti disciplina languidius, remissiusq; seruaretur, ab eodē Pontifice Magistratu exutus est, Petro Decano sodalitij procuratione demandata. Vacauit sedes aliquot mensibus.

*Præfuit annos omnino tres.*



## DOMINICVS.

## ABBAS XL.



Ominicus de Sambuceta Casinatis Abbatiae munus à Monachis, ab Alexandro Pontifice consecrationem apud Tusculum suscepit. Ecclesias Sanctorum Magni & Honufrij Fundis, aliasque in eiusdem Vrbis agro positas recuperavit, Iudicum sententia contra Episcopum Fundensem Cœnobio adiudicatas. Obiit septimo Kal. Maij.

*Præsedit biennium.*

## PETRVS SEGUNDVS.

ABBAS LI.



Etrus de Insula magnæ integritatis , & prudentiæ vir , Dominico subrogatur in Magistratum eo die , quo ille deceperat è vita . Monasterium Cremense ab Hnrico Comite Bergomate , contra ius , fasque usurpatum , Casinatibus vindicauit . Alexander Papa , & Guilielmus Siciliæ Rex apud Casinum hospitio excepti , per amplis priuilegijs Petro efflagitante , sodalitum cohonestarunt . Quod ipsum postea Lucius tertius Romanus Pontifex eiusdem Abbatis postulatu factitauit ; possessionem , ac iura Monasteriorum , tum Sancti Nicolai de Lurgo in Sardinia , tum Sancti Matthei propè Casinum , suis diplomatis sacro sodalitio validius corroborans , ac stabiliens . Petro Abbatte magna Ecclesiarum , prædiorum , opumq; accessio Casinati rei est facta . Illum Alexander Pontifex , cum aliæ sæpè quantifaceret , tum eo præsertim tempore testatus est , quo ipsum de pace cum Federico Imperatore firmata per literas certiorem factum , ad Concilium Lateranense aduocauit , eius consilio , & opera in re longè grauissima usurpus .

Excessit octauo idus Iulij .

*Praefuit annis tribus , mensibus duobus , diebus tredecim .*

*Vacauit Sedes biennium .*

Alexander  
Papa , & Gui-  
lielmus Sici-  
liæ Reges Ca-  
sinum inui-  
sunt .  
Lucius item  
Rom. Pont.  
eodem se co-  
fert .

Ab Alexand.  
Pontifice ad  
Lateranense  
Concilium  
aduocatus .

Ann. 1186.



## ROFFREDVS.

## ABBAS LII.



Cardinalis  
creatur.

Henricū Im-  
per. cū Vxo-  
re hospitio  
excipit.

Cum eodem  
Imp. profe-  
cscitur in  
Germania. aliosque Dynastas, omnibus Cœnobij locis, quæ tumul-  
Traducto in tuario impetu sui iuris effecerant, coegerit excedere. Ali-  
Italian Hen-  
rici exercitu  
Tancredum Regem, &  
alios Dyna- di manibus, iniustoque dominatu eripuit, ipsumq; Op-  
pidum

Asinates Roffredum Petri defuncti Mu-  
nicipem, Abbatis dignitate insignitum,  
cum Rōmam consecrationis gratia mi-  
ssissent, à Clemente tertio Cardinalem  
creatūm receperunt. Ceterum Roffre-  
dus ingentis planè consilij, & admiran-

dæ sapientiæ, ac fortitudinis vir, optimi simul ac prudē-  
tissimi Rectoris cumulatissimam laudem est assequutus.  
Gulielmo Siciliæ Rege, nullis post se relictis liberis vita  
functo, Tancredus Licij Comes, & Henricus sextus Im-  
perator eius rēgnum inuaserant. Roffredus quasi edi-  
ta è specula tumultus, ac seditiones, quæ postea in Re-  
gno Neapolitano sunt consequitæ, longè prospiciens,  
ac diuinans, vicinos Comites in rem Cœnobij arctiore

sibi fœdere copulauit. Inde Cæsarem cum vxore Con-

stantia Casinum aduenientem, omnibus humanitatis, &  
obsequij officijs excoluit; eundemq; mox in Germaniam

redeuntem est prosequutus; sumpto deinde ipsius Hen-

rici exercitu, Italiam repetens, Tancredum Regem,

Germania. aliosque Dynastas, omnibus Cœnobij locis, quæ tumul-

Traducto in tuario impetu sui iuris effecerant, coegerit excedere. Ali-

Italian Hen-  
rici exercitu  
Tancredum Regem, &  
alios Dyna- di manibus, iniustoque dominatu eripuit, ipsumq; Op-

pidum

pidum firmo mœnium ambitu circumuallauit, ad hostes in posterum facilius submouendos. Fractarum, Castrorum, & Fregellarum loca recuperauit: Arcem Ianulæ muris, acturribus inclusit. Legatione in Siciliam Pontificis nutu, ac voluntate perfunditus, Vrbe Sora, alijsq; romanæ ditionis Oppidis armorum, animiq; robore Innocentio tertio recuperatis, Romanæ Sedi strenuam, fidelemque operam nauauit. Quo factum est, vt à Romanis vicissim Pontificibus Innocentio (qui per eos dies Casinum inuisit) Clemente, Cælestino, magni momenti retulerit in usum, splendoremque sui Monasterij priuilegia; Illud in primis à Clemente, vt bonorum Cœnobij Vsurpatores, vbiunque terrarum essent, eos legitima facultate posset anathemati subiucere. Henrico quoq; Imperatori acceptissimus, summam eius erga se, ac totum sodalitum Casinas benevolentiam, ac liberalitatē expertus est. Pretiosis muneribus ab Imperatore auctū Cœnobium: Oppidis Antini, Roccæ Guilielmi, Malueti, Roccæ Albani, & Roccæ Vandæ donatum; inero, & misto imperio, omnibus suæ ditionis Oppidis insignitū. Decretum quoque, ac sanctum ab eodem est Cæsare, vt Principes viri per Italiam, quicunq; ipsum quoquo pacto læsissent, frustra de reditu in gratiā tentarent, speraretur, nisi Roffredo sequestre, ac deprecatore apud eundem niterentur. At Roffredi bellica virtus, & fortitudo, vt eximia fuerit, & excellens, longo tamen interuallo ab eius egregia pietate, religiosissimisque moribus vincebatur. Quare inter armorum fragores, ac strepitum, religiosæ vitæ quietem diligenter excolens, cavit etiam atque etiam, ne domestica disciplina apud Cas-

itas osicupari  
tis Cœnobij  
Castellis ex-  
pellit.

Germanen-  
sium Vrbem  
libertati re-  
stituit.

De Romana  
Sede præcla-  
re meretur.

A Romanis  
vicissim Pon-  
tificibus co-  
honestatur.

Imperatori  
acceptissi-  
mus plura ab  
eo refert Pri-  
uilegia.

num labefactaretur , neuè minus accuratè , quam mōris esset , custodiretur à subditis . Aedificijs , ac pretiosa supellectile , antiquo domus splendori ; haud parum adiecit

Romanū D. ornamenti ; Quin etiam Cœnobium D. Pauli propè Vr-Pauli Cœnobium effor-bem insigne , ac magnificum ; Innocentij Papæ iussu cùm mat in me-sedulò visitasset , puriore monastici cultus obseruantia , & lius .

frequentiore sodalium numero , multò perfectius , ac celebrius reddidit . Denique meritis abundans , & rectè factorum conscientia locuples , migravit in cælum tertio

Ann. 1209. Käl. Iunij .

*Præfuit annis viginti , mensibus undecim .*

### PETRVS TERTIVS.

#### ABBAS LIII.



Inter Cardinales cooptatur .

Othonem 4. Imperatorem Casinum inuisentem , quo par erat hono-  
Imp. hospiti recipit .

Etrus coguomento Comes , electus eodē anno , die Natali S. Ioannis Baptistæ , Rōmam profectus , ab Innocentio tertio , ob egregiam sapientiæ famam Casinas Antistes confirmatus , inter Cardinales cooptatur . Is Othonem quartum

Imperatorem Casinum inuisentem , quo par erat honore , ac magnificentia est prosequutus , à quo de tutta possessione Oppidorum Monasterii , priuilegium obtinuit . extremum obijt diem quinto Kal. Februarij .

*Præsedit annum cum  
dimidio .*

Ann. 1211.

ADE-

## A D E N V L F V S.

## A B B A S L I V.



Denulfus Casertanus ex Abbe S. Benedicti Venusiae, Petri Comitis prouinciam eodem anno excepit, melior futurus, si minus administrasset: hic enim iam tum, cum Decani munere fungetur apud Casinum, Roffredo cum

Ann. 1211.

Cæsare in Germaniam abeunte, adscitus fuerat in Cœnobij gubernationem: cumq; Monasterij iura, & datam Henrico Imperatori fidem interritus propugnans, nullis pollicitationibus, nullis minis ab officio deduci posset, Manfredi Regis, Regniq; Procerum grauissimas sustinuerat insectationes. Ab eo S. Germani Ciuitas, quam Regiæ cohortes occupauerant, sumptis armis pristinæ libertati est restituta. Quam obrem Henricus perspecta erga se Adenulfi egrégia fide, illum postea Venusini sodalitij præfectura cohonestarat. Demum ab Innocentio Papa Segniæ in Concilio generali Casinensis Abbas est consecratus. Castellum Vandræ per vim, & dolum à nescioquo Magnate in sessum, conscriptis denuo copijs, Casinatibus vindicauit. Hucusque Adenulfus industrij præsulis nomen, & gloriam abundè retulerat ab omnibus; verum quarto circiter sui Magistratus anno, cum indulgentiorem in propinquos, & affines, magisq; munificum se præberet, quam Religiosum Antistitem decebat, longius ab æquitate, atque ab officio recessit: quippe à minutiōribus donis factō initio, paulatim eò deuentum

Germanenses in libertatem assentit.

Ann. 1212.  
Castellum Vandræ recuperat.

erat,

erat, vt temporis, ac loci opportunitate inuitatus carni  
suæ, ac sanguini Monachorum possessiones, & Oppida  
largiretur. Quo comperto Innocentius Adenulfum Casin-  
nati Abbatia remotum, ad Capuanæ D. Benedicti regi-  
men dimisit.

Ann: 1216.

*Præfuit circa quinquennium, Vacauit Sedes menses aliquot.*



### STEPHANVS PRIMVS.

#### ABBAS LV.



STEPHANO Marsicano Abbatis insignia propria virtus adæquè, ac Monachorum benevolentia conciliarunt. Is ab Innocentio Papa consecratione donatur nonis Augusti. Quam de ipsius virtute, ac sapientia conceperant Patres excellentem opinionem, egregiè sustinuit: nam sui Magistratus initio Vandræ Oppidum Pontificijs auxilijs à Miraldo Adenulfi Abbatis nepote recuperavit, cuius iuria, itemq; Oppidi Atini priuilegio Federici Imperatoris, Casinatibus in posterum firmata sunt, ac stabilita. Propter eximiam sanctitatis, ac prudentiae famam à Principiis viris summa veneratione, eximijsq; muniberibus exq; cultus est. Ab Innocentio Pontifice plura ex auro, argentoq; dona, & sericam vestem adornando templo, & amplissima priuilegia recepit, quibus quidquid vsquam prædiorum, atque Oppidorum Casinates possiderent, fieri ausus fanciebatur. Cæsar eius virtutis, ac fidei admiratione

Pontificijs  
auxilijs Vandræ Oppidū  
vindicat in  
libertatem.

Donis, ac priuilegijs colitur.

tione permotus, Caietam illi suo nomine retinendam, custodiendamq; assignauit. Nundinæ apud S. Germanum generales, authore Stephano quotannis celebrari sunt cœptæ. Sed quod Monachum, eundemque Abbatem præ ceteris rebus decebat maximè, singulari studio, atque industria perfecit, ut in Casinati Monte D. Benedicti regulæ Monasticisq; institutis plurimum obseruantæ impenderetur. Excessit è vita duodecimo Kal. Augusti.


Ann. 1227

*Præfuit annis undecim, diebus viginti.*



L A N D V L F V S.

ABBAS LVI.



A N D V L F O Senebaldo ex Illustri Comitum Aquinatum familia, neque merita defuere, ad suscipiendum Casinatis Abbatiæ honorem, neque virtus postea, quamuis difficillimis temporibus, ad eundem religiosè, laudabiliter.

que retinendum. Sub initia Magistratus à Gregorio nono Pontifice (qui Hierosolymitanum bellum serio molebatur, vrgebatque) duobus è sacro senatu ad Federicum Imperatorem Legatis, qui auxilia in id bellum exposcerent, Landulfus Abbas, tertius illis Comes adiungitur: præclaro vtique apud omnes illius virtutis, ac sapientiæ testimonio. Verum exulceratis deinde maiorem in modum animis, tum Gregorij, tum Federici,

Cardinalibus ad Imp. Legatis, Lædulfus Comes adiungitur à summo Pontifice.

P cum

cum res ad arma processisset , vniuersa Monasterij Castella , & Germanensium Ciuitas , primo à Pontificio exercitu, deinde à Cæsariano occupantur . Quin etiam Monachi Casinates , iubente Rainaldo Spoleti Duce , ac Federici Cæsar is copiarum Magistro , suis sedibus pulsi . Quia ex re Landulfus eò grauiore animi cruciatu , ac tristitia conflictabatur ; quod imparem se videret propulsandæ à sacro coetu , tot ingentium calamitatum multitudini . Verum Cæleste Numen integerrimum Præsum lem breui opprimentibus malis eripuit . Nam sanctis haud multo post pacis foederibus inter Pontificem , & Imperatorem in Templo S. Germani ( quo Federicus ipse cum Alemanis Proceribus , & Gregorij Papæ Legati conuenerant ) Landulfo Abbatи Oppidorum , ac Ciuitatis integra restitutio est facta . Multis à Gregorio Pontifice priuilegijs dignatus est ; cuius etiam voluntate , ac postulatu , erectam in S. Germano D. Francisci Basilicam , fratribus , quos Minores vocant , habitandam attribuit . Anno sui regiminis secundo D. Thomam Aquinatem , Nepotem suum à Parentibus oblatum , in disciplinam suscepit . Per eos dies Leopoldus Austriæ , ac Stiriae Dux , cum apud S. Germanum decessisset , eius corpus in Casinati Templo sepulturæ mandatur .

**Obiit Landulfus 5. Kal.**  
**Augusti.**

*Prefuit annos octo , menses totidem , ac dimidium .*  
*Vacauit sedes biennium .*

Ann. 1236.

AP-



## APPENDIX.

## DE D. THOMA AQVINATE.



*Landulfus secundo suæ administrationis anno, D. Thomam nepotem suum quinquennem, à Pare-  
tibus oblatum suscepit, eo prorsus modo, quo  
Tertullus olim, & Equitius Romanorum no-  
bilissimi, liberos suos Placidum, ac Maurum.  
D. Benedicto religiosa disciplina imbuendos  
tradiderant: nec enim apud Casinum moris erat  
(quidquid alibi secus in nostris etiam Cœnobij sancte, ac laudabili-  
ter fieri consueuisset) ut nobilium virorum filij ad Monacho-  
rum scholas admitterentur, nisi quibus ex Parentum spontanea  
oblatione statutum esset, ubi adoleuissent, religiosi status professio-  
nem emittere. Ceterum Aquini Comites non una, nec exigui pon-  
deris causa in eam mentem impelli potuerant, ut filium Monastice  
vitæ in Casinati Cœnobia dicatum vellent: primo quod mares, ac  
feminas ipso Thoma natu maiores, tam multos iam suscepserant, ut  
ad generis propagationem, opesque, ac decus familie, vel retinendū,  
vel augendum, abunde sufficerent: tum quia Thomæ ingenium (li-  
cet pueruli) tamen in illa etatula eximiæ ad literas, ac pieta-  
tem propensionis, haud semel certissima signa ediderat, unde sperari  
posset, brevi fore, ut si tātē indoli mature consuleretur, admirandis in  
utroque studio progressionibus, Aquinatem domum (alioqui claris-  
simam) multò ipse luculentius illustraret. Neque longius abeun-  
dum erat, ad hæc religionis, & doctrinæ præsidia infanti Thomæ cō-  
quirenda; cum penè domi abunde suppeterent, in Casinate videli-  
ceret sodalitio, Cœlestis sapientiae, & liberalium artium vetustissima,  
nobilissimoq; Accademia; unde Aquinum non amplius septem  
millia passuum distabat. Quid quod? per eos dies Landulfus Thomæ*

Vide D. Be-  
nedictum in  
Reg. c. 59. Si  
quis forte de  
Nobilibus,  
&c. & Petru-  
Damiani ad  
Desiderium  
Abb. Epistola  
17. lib. 2. Epi.

patruus Casinum Abbatis munere, atq; imperio moderabatur? An verendum, ne summo studio, & conatu operam daret, ut Thomas sedum religiosos mores, & ingenuas disciplinas mature combiberet; sed etiam, ut adulta postmodum estate, ad illud idem supremi Magistratus fastigium, ab suo excessu queheretur? Quod si eueniret (uti euenturum præter Landulfi amorem, & industriam, ipsiusmet diuina pueri indoles, & maiorum claritas penè certò spondebant) tum verò quantum utilitatis, & commodi Aquinatum Comitum rationibus obueniurum. Opulentissimi Coenobij reddituum accessione? Quantum opportunitatis, ad submouēda dissidia inter ipsos, & Casinates penè quotidiana? Quantum auxilij, ad reprimendas aduersariorum vires? ad resistendum Neapolitanis Regibus, si noua moliri pergerent, permitiosa subditis, & rationi pleraque dissentanea? Quòd si Thomas diù inter monachos educatus, nostro tamen Ordini postea non adhæsit: id verò nemini mirum videri debet; nam præterquam quod bellum atrox, quod inter Pontificem Romanum, & Federicum Imperatorem exarserat, cum toti Campaniae, tum nominatim Casinati sodalitio maxime calamitosum, eandem Thomæ, quam ceteris Monachis attulit aliò demigrandi necessitatem: Parentum insuper consilia, & machinationes de Casinati Abbatia, cum illi subleuissent, ab omni semper honorum spe, atque ambitu alienissimo, cogitationes suas, ad aliud religiose vitæ genus amplectendum conuertit, in quo posset dignitatum insignia, ac titulos omnes facilius, ac probabilius in omnem vitam declinare. Veruntamen cum è sacro Sodalitio digrediens Thomas, non modo insigniam pietate, sed latine etiam linguae peritia imbutus, Neapolim contenderit (quò plus res item è Casinai Monte diuerterant, egregia pietate, ac doctrina Monachi) sit mihi ad modum vero simile, Thomam ab nostrorum bominum consuicidine, ac disciplina non recessisse; præsertim cum legamus in Neapolitana Accademia unum ex nostris (nomen non tradunt) qui per id tempus Casino aduenerat, nobiliores disciplinas suis auditoribus prælegisse. Sed hac super re nihil certi affirmauerim; illud constat, Thomam, diuturno Monachorum contubernio, atque insti

institutione , neque in eruditum , ex sanctitate iam , editisque miraculis celebrem , præclarissimo D. Dominici Ordini fuisse adscriptum , in quo breui ad illud sanctitatis , ac doctrinæ fastigium peruenit , cuius altissima iecerat inter nostros homines fundamenta ; ut nobis iure optimo insigni gloriæ ducamus , Diuinum bunc Solem , qui latissimè patentes Prædicatorum familiæ compos ( ubi prouectior est factus ) immenso lumine compleuit , sui exortus radijs , Casinatem Montem illustrasse .



## STEPHANVS SECUNDVS.

## ABBAS LXII.



Tephanus magna sodalium gratulatio-  
ne Landulfo sublectus Abbas , maiore  
virtute , quam fortuna , iniunctum sibi  
munus exercuit . Principio ad Federi-  
cum Imperatorem in Galliam Cisalpi-  
nam profectus , honorificè ab eo , huma-  
niterq; suscepimus est ; At non ita multò post Cæsare à Ro-  
mano Pontifice anathematis ignominia notato , in sum-  
mum animi dolorem adducitur , occupatis Imperatoris  
iussu Cœnobij Pagis : Monachis ( exceptis octo ) Sanctis-  
sima de Sede profligatis : thesauro tum sacro , tum profa-  
no ( qui tot annis , tot Principum liberalitate , ac Monacho-  
rum parcimonia coaluerat ) funditus auerso . Ad extre-  
num sub Federici mortem , recuperatis aliquot Mona-  
sterij Castellis , animi tristitiam , & dolorem vtcunq; mi-  
tigauerat ; sed ante excessit è vita , quam Casinates for-  
tunas

Ann. 1238

Ad Federicū  
Imp. profe-  
ctus , huma-  
niter ab eo  
excipitur .

tunus pro virtute, ac voto subleuare potuerit, septimo  
Ann. 1251. Käl. Februarij.

*Præfuit annos undecim, menses sex, dies duos.*

*Vacauit Sedes menses aliquot.*

## RICHARDVS.

### ABBAS LVIII.



Abbas, &  
Cardinalis  
creatur.

ICHARDVM Hannibaldum Romanum  
genere, Casinates Monachi Abbatiae  
Magistratu, Innocentius Pontifex de-  
lata Cardinalatus dignitate certatim  
cohonestarunt: ille utroque gradu, licet  
amplissimo, dignum se præstite, insi-  
gni pietate, atque industria Cœnobium moderatus. Eo  
Rectore, pleraque loca, quæ superiorum temporū acer-  
bitas abstulerat, iterum Cœnobia vindicata. Ingentes  
à diuersis Magnatibus, copiosæq; bonorum donationes  
factæ. Monachorum Oppida, fortunæque omnes am-  
plo Alexandri quarti diplomate sancta: Diuini  
cultus, Religiosique instituti (quod caput  
est) integror, sæueriorque inuecta  
disciplina. Demum morta-  
litatem expleuit.

*Præfuit annis omnino undecim.*

*Vacauit Sedes aliquot  
mensibus.*

Ann. 1263.

BER-



## BERNARDVS PRIMVS.

A B B A S LIX.



Ernardi Abbatis exemplō compertum est, perniciōsissime externos homines à Rerum publicarum administratione indiscriminatim submoueri; cum sēpē ab his maiores vtilitates, & commoda, quam à proprijs ciuibus importentur, & virtus nusquam aduena, vbique Patriam habeat, nec à nobis iure censeantur extranei, quorum ope, ac beneficijs maximè intimorum charitatem, & auxilia experimur. Bernardus natione Gallus in Insulæ Lerinensis Sanctissimo Cœnobio ad Monasticæ vitæ normam adeo perfectè mores suos conformauit, vt matura postmodum ætate eiusdem loci præfectura sit insignitus. Hunc Carolus I. illustri prudentiæ, ac virtutis fama notissimū plurimi fecit; cumq; iter in Italiam fusciperet, eundem voluit, & itineris comitem, & suorum participem, ac Moderatorem consiliorum. Deinde Neapolitano Regno potius, non modo charum habuit in paucis, sed operam etiam dedit, vt eius præclaræ dotes, & insignis religio, cum alibi, tum Romæ præsertim perulgarentur. Quare Vrbanus quartus crebris, certisque nuncijs (Caroli præsertim perhonorifica commendatione) de Bernardi sanctitate, ac sapientia certior factus, illū primo Casinatis Collegij regimine, mox etiam sacra purpura decorauit. Suffectus est summa Monachorum voluntate in Ab-

In Lerinensi  
Cœnobia  
Monachus,  
deinde Ab-  
bas.  
Carolo Re-  
gi charissi-  
mus.

Abbatis, ac  
Cardinalis  
honore de-  
coratur.

batem

batem Theodino cuidam Monacho Casinati, & Acerra-  
rum Episcopo, qui Manfredi Regis iussu vacantem Sedē  
inuaserat. Bernardi sanctitati, prudētiæ, solicitudini, per-

Quantū Ca-  
finates Ber-  
nardo debe-  
ant. petuisq; laboribus, Monasticæ disciplinæ accuratam in-  
staurationem, & ferè quidquid stabilum bonorum ad

hæc usque tempora possederunt, hodieq; possident Ca-  
finates, iure optimo retulerint acceptum. Igitur Bernar-  
dus suscepta Cœnobij administratione, studium, & curas  
omnes eò intendit, ut sanctissimarum legum cultus, ad  
primæuam institutionis normam studiosissimè reuoca-  
retur. Verum cum prudenter intelligeret, id ipsum nul-  
la ratione se consequi posse, nisi prius ex regulæ præ-  
scripto, quæ cuique opus essent, religiosa liberalitate, cō-  
credito sibi Cœtui peramanter impertiret; recuperan-  
dis Cœnobij fortunis animum, atque operā adiecit. Quo  
in genere Caroli Regis apud Casinum diuersantis, non  
parum adiutus est benevolentia, amplissimoq; diploma-  
te. Per triginta sex annos Federicus, Conradus, Man-  
fredus d̄repto Cœnobio, electisq; religiosis viris ferè om-  
nibus, locum in Arcis speciem munitum, militari præ-  
fido firmauerant: Bernardus deiecta militum statione;  
reuocatisque sodalibus, ex profanis Castris, Castra Dei Is-  
rael, sacramq; militiam Casinū denuo inuexit, quæ Chri-  
stianæ Reipublicæ bono, interdiù, noctuq; diuinis inten-  
ta precibus excubaret. Oppida, quibus Casinates exuti  
fuerant, iterum in potestatem asserta; præscriptiq; sin-  
gulis termini, ac limites, ad euitandas cum adiacentibus  
vicinis discordias. Oppidani peracta in subiectiōnis ar-  
gumentum modici census solutione, nouo fidelitatis Sa-  
cramento Abbatī, Monachisq; se obstrinxere. Illorum  
fortus

fortunæ; ac bona; qui se Conradino aduersus Carolum Regem dimicante; coniunxerant; Casinati fisco perpetuo adiudicata. Xenodochium in Sancto Germano per amplum erexit; assignatisque facultatibus; & copiosa munērum largitione; ab eodem cūmūlatum. Coa-  
 Etis in vnum clericis totius Casinatis Diœcesis; Synodus celebrauit apud Sanctum Germanum. Fratribus Ordinis Prædicatorum Ecclesiam in S. Germano concessit. D. Thomæ Aquinatis desiderio; ac postulatis libenter gratificatus. In utroq; Cœnobio; Casinati videlicet; ac S. Liberatoris; nedū mores; ac disciplina correcti; sed ædificia etiā amplitudine; & elegantia insigniter accreuerere. Verū in Bernardo ad naturæ dotes; præclarāq; animi ornamēta; literarū etiā excellens; ac multiplex cognitio adiungebatur; cuius ille beneficio multa piè; sapienterq; composuit. Extant adhuc nōnulla nostri Ordinis hominibus; ac præfertim Cœnobiorū Præfectis sanè perutilia; quos nimirū ille; & superiorū Abbatum exéplis; & proprio vsu; atq; experientia edocitus; serio monet; enixèque obtestatur; vt si officio suo ritè defungi velint; & à subditis integrām; iniuiolatamque sacri instituti obseruantiam exigere; & consequi; illud etiam; atque etiam meminerint ipsi; & obseruent accuratissimè; vt; quæ illorum victus; cultusque ratio exposcit; prompta manu; ac liberali suppeditent vniuersa; alioquin irritum fore quidquid dicant; edicantque; quosuis labores; ac conatus pro Religiosa disciplina; vel retinenda; vel restituenda susceperint; nihil omnino profuturos: neque fieri ullo modo posse; quin sacer Ordo quotidie labatur in peius; & paulatim pessū eat; si hęc; quā diximus; Rectorū in suos alūnos charitas; &

sacrae causæ  
caenobii  
monachorum  
et studiorum  
et operum

Literarum  
peritia ex-  
celluit.

Extant ad-  
huc conscrip-  
ti ab eo li-  
bri. Abbati-  
bus præfer-  
tim peruti-  
les.

immunitates, quibus per superiores Abbates donati fuerant, lata in eos sententia ademit, nominatim conterraneis Pagi(cui à S. Elia nomen est) quòd Cœnobio suppeditias equitatu non tulissent, quemadmodum ingruentibus bellis, ex pacto inter ipsos, & Casinates conuenerat. Peculiari etiam decreto vetuit, ne qui alteri Religiosæ familiæ nomen antea dedisset, Casinati Monasterio adscriberetur. Aedem sacram D. Iacobi de Pace in Mineano vetustate fatiscentem, instauratam decorauit. Anno duodecimo Thomæ magistratus vertente, Cælestinus quintus (Monachus olim Casinas) S.P. Benedicti sepulchrum inuisit. Per eam occasionem hortatus est Monachos, ut recens ab se institutæ Congregationi Casinense Cœnobium aggregari paterentur, simulq; habitum admitterent, cum eiusdem instituti sodalibus concolorum. Quo utroq; impetrato, quinquaginta ex suis Monachis Casinum legauit, Decani appellatione, in Prioris Claustralibus nomen commutata. Sed facilius fuit, quam diuturnius hoc alterius disciplinæ, habitusq; suscepimus ab vetustissimo sodalitio commercium; nam Bonifacius octauus Cælestini successor, eius actus omnes abrogauit, Cardinalibus tantum, quos creauerat, de accepta dignitate non deiecit. Ceterum Thomas ætate iam prouecta, desire esse inter viuos, nonis Junij.

*Prefuit annis qua  
tuordecim.*



Cælestinus  
quintus Ca-  
sinum adit.

Eius postula-  
tu Cælestini  
Monachi cū  
Casinatibus  
iunguntur.

Ann. 96.

PON.



## PONTIVS.

## ABBAS LXI.

**P**ontius Catanensis Thomæ subrogatus, & à Bonifacio Pontifice consecratus, eodem anno ac mense. Hic prædium apud Troiam Apulie, ex quo pingues reditus Cœnobio proueniebant, Caroli secundi Regis ope, ac præsidio, ab Trojanis ciuibus occupatum, recuperauit. Defunctus est eo-<sup>Ann. 1297</sup> dem anno.

*Præfuit mensibus sex.*



## ANGELARIUS SECUNDVS.

## ABBAS LXII.

**A**ngelarius ex eorum numero, quos Cælestinus Casinum direxerat, summum inter Monachos gradum spectatæ virtutis opinione consequutus, post adeptam à Bonifacio octauo Pontifice consecrationem, adiuit Nihilò diutius Pontio Catanensi administravit, quippe mensibus quinque diebus nouem. Ab eius funere vacavit sedes menses aliquot.

Ann. 1297



BER-

## BERNARDVS SECUNDVS.

ABBAS LXIII.

**B**ERNARDVS pari cum superioribus innocentia, & sanctitate, ad Cœnobij regimen, anno eodem electus est. Sed expletis tantum suæ præfecturæ mensibus quatuor, diebus quatuor, ac vigenti obiit.

*Vacauit Sedes per aliquot menses,*



## BERNARDVS TERTIVS.

ABBAS LXIV.



BERNARDVM doctrina, & religione spectabilem, anno eodem Bonifacius Papa Episcopum Tripolitanum, & Casinatis Monasterij Administratorem constituit. Perbreui septem mensium spatio (tandiù enim gubernauit) à Costantino Sardiniae Rege duas Ecclesias Casinatibus ea in Insula impetrauit. Templum Sancti Magni apud Fundos, itemq; alibi alia duo recuperavit. mortem obiit

Kal. Augusti.

*Præfuit menses septem.*

## GALARDVS.

A B B A S L X V .

**G**alardus Augusto mense , sacri Conuentus suffragijs rerum summam capessit, nec sine laude moderatur , recuperatis Cœnobio diuersis locis , ac possessionibus . Decessit .

Ann. 1304

Prefuit annis quinque, mensibus sex, diebus viginti.  
Sedes per menses aliquot vacauit .

## THOMAS SECUNDVS.

A B B A S L X V I .

**T**HOMAS vir egregiè pius, ac sanctus, animo plānè inuito Casinatis domus gubernacula admisit : sui regiminis operæ pretium fecit, restituta apud Casinum religiosi instituti accuratiore disciplina . Fato functus est .

Ann. 1308

Præsedidt annis duobus , mensibus nouem .  
Vacauit Sedes aliquot menses .

## M A R I N V S.

A B B A S L X V I I .

**M**arinus Tomacellus cum Neapolitanæ Familiæ splendorem Religionis , ac morum nobilitate superas .

perasset, primariū inter Casinates locum adeptus est, vir omnium virtutum ornamenti abundē diues. Monasterij fortunas magno adhibito labore, atque industria amplificauit, receptis, quæ occupata fuerant Ecclesijs aliquot, ac Pagis. Aetate admodum proiecta diem obiit.

*Ann. 1313. Præfuit annis quinque. Vacavit Sedes diebus aliquot.*

### ISVARDVS.

#### ABBAS LXVII.



SVARDVS eodem anno, mense Decembris electus Abbas, assertis rursus in potestatem varijs prædijs, quibus spoliatum fuerat Monasterium, instaurata Claustrī disciplina, re familiāri diligenter administrata,

*Ann. 1322. Ann. 1322. sui muneric officio laudabiliter functus Obiit.*

*Præfuit annos nouem.*

### APPENDIX.

#### DE CASINATIS COENOBII ABBATIBVS.

A Ioanne XXII. Pontifice, Episcopi dignitate insignitis.



Oannem Pontificem huius nominis vicesimum secundū eximia Religib in Sanctissimum Patriarcham Benedictum, & in eius alumnos singularis benevolentia permovit, ut Casinati Coenobio Rectorem daret Episcopi officio, & dignitate conspicuum etum quia Sacro Sodalitio id ipsum videbatur longe honorificentius, tum quod spiri-

tuali

tuali iurisdictioni (quæ latissimè patebat) minus abundè prospectum rebatur, nisi Pastorem haberet tantæ authoritatis, ac dignitatis, quantam in suis Præfulibus angustiores Dioeceses, & inferioris notæ populi agnoscunt, ac venerantur. Igitur Oddonem ex Archiepiscopo Pisano Patriarcham Alexandrinum, Casinatem Abbatem renunciat; quo defuncto, maioribus adhuc honorum titulis locum illum insignire percipiens, anno sui Pontificatus sexto, humanæ salutis Mcccxxij. Casinatem Ecclesiā, in Cathedralē Regularium erexit, Episcopi duntaxat dignitate, Abbatis officio, ac præfecturæ superaddita; ita ut, ab ipso Patrum Conuentu (quem Capituli nomine appellari placuerat) ex sacrorum Canonum formula electus Antistes, utroque munere, Abbatis scilicet, & Episcopi fungeretur. Quæ postea consuetudo, ad Urbani Quinti Pontificatum viguit apud Casinates inviolabilis,

Abbates Casinates Episcopali dignitate à Ioanne vicefimo secundo co-honestātur.

Casinensis Ecclesia in Cathedralē erigitur,

## ABBATES CASINATES E P I S C O P I .

ODDO EPISCOPVS I.,

ABBAS LXIX.

 ODDO (quem Archiepiscopum Pisanum, deinde Alexandrinum Patriarchā fuisse scripsimus) Ioannis Papæ concessu, ac beneficio, Casinatis Abbatiae gubernaculis admotus, ex usu Cœnobij, & Monachorum bono, præfecturam administrauit. Decessit.

Ann. 1326.

Præfuit enim quatuor, mensibus ali:quot.

R

RAI-



RAIMUNDVS EPISCOPVS II,

ABBAS LXX.



AIMUNDVS Monachus Casinas, pari eruditionis, & integritatis laude commendatus, ynahimi Patrum consensu in Casinatem Episcopum sublectus, ab eodem Ioanne Pontifice cōsecreatur: à quo etiam totius Campaniæ, Maritimæque Prouinciarum generalis Procurator, & Comes est renunciatus. Is in Vico Sancti Petri excitato prænobili palatio, suam ibi sedem, ac domicilium fixit. Aliud item non minoris sumptus, & amplitudinis Neapoli erexit; quo postea Montis oliueti Patres, ab Hérico Casinate Abbe impetrato, celebre Monasterium (quod hodieque incolunt) eodem in loco substruxere. Germanenses, decumas persolue-re dectrectantes, diris deuouit, Romani Pontificis diplomate, lata in eos excommunicatione roborata. Morum, & disciplinæ Regularis culturam in Sacro Sodalitio diligenter promouit. Aetate cum admodum processisset, diem obiit septimo Kal. Augusti.

Ann. 1340.

*Præfuit annis quatuordecim.**Vacavit Sedes dies aliquot.*

GVI.

## GVIDO EPISCOPVS III,

*ABBAS LXXI.*

VIDO natione Gallus, neque diù, neq;  
tranquillo animo duplēm Episcopi, &  
Abbatis dignitatem apud Casinum reti-  
nuit; difficilis, breuiorisque Magistra-  
tus causam attulere, Antonius Gallu-  
tius, & Iacobus Pignatarius, qui thesau-  
ro Casinatis Basilicæ asportato minimè contenti, Ca-  
stella insuper Monasterii per vim, & nefas tyrannico  
more occupata, plures deinde annos habuerunt in po-  
testate: at Pagus Sancti Petri in Curullis, quem per eos  
dies Matthæus Branchatius, ijsdem artibus sibi vindica-  
rat, nunquam postea Monachis est restitutus. Guido  
igitur tum his, tum alijs aduersæ fortunæ procellis iacta-  
tus, robore, atque animo impar, excessit è vita quarto no-  
nas Augusti.

Ann. 1341.

*Præfuit circiter annum.*

## RICHERIVS SECUNDVS, EPISCOPVS IV,

*ABBAS LXXII.*

**R**ICHERIVS ab eodem Pontifice prop-  
ter insignem sapientiæ famam (non expe-  
ctatis, Monachorum suffragijs) in Episco-  
pum, & Abbatem Guidoni suffectus, Ca-  
sinum transmittitur; Temporis breuitate prohibitus,

R 2 ne-

## ELOGIA ABBATVM

*nequijt , quæ animo conceperat , in rem Monachorum , & Cœnobij perficere . Apud Tarentum recepta Sancti Petri Imperialis Ecclesia : decessit 3. Kal. Martij.*

Ann. 1343

*Præfuit annum cum dimidio , dies vigintiquinque .*

*Vacauit Sedes per menses aliquot .*



STEPHANVS TERTIVS, EPISCOPVS V,  
ABBAS LXXIII.



Tephanus Clementis Papæ Sexti beneficio Casinate Cathedra donatus , iura omnia , & quoscunque redditus Casinatis Ecclesiæ summa diligentia peruestigauit , quod posteris insigni adumento fuit , ad prædia cōplura , censu annuos , ac pensiones recuperandas . Demum ab eodem Pontifice ad Episcopatum S Pontij translatus est .

Ann. 1346

*Præfedit triennium . Vacauit Sedes menses nonnullos .*



GVILIELMVS EPISCOPVS VI,  
ABBAS LXXIV.



Vilielmus in Episcopum Casinatem electus , diuturniorem quidem quam Stephanus ; sed multò turbulentiorem habuit Præfecturam : siquidem in ea incidit tempora , cum Iacobus Pignatarius à Clemente Papa priorum cœtu , & consue-

tudi-

tudine submotus, quòd auctas sacri Cœnobij opes, & capta Castella restituere noluisset, ira, & furore percitus, grauiora in sanctissimum locum, ac Monachos quotidiè moliebatur, ac perficiebat: neq; impotenti licentiæ imposuit modum, donec expulsis Casino Patribus, ipsum etiam Guilielmum Episcopum deturbauit. Sed Deo tandem vindice extinctus cum sua tyrannide Pignatarius, Guilielmus ad suam Sedem regressus, Castella Monasterij recuperata, S. P. Benedicti leges purius, sauctiusque obseruari coepit. Anno secundo, postquam administratio recuperat, horribili terræmotu tota Campania, & Casinatis præsertim Episcopatus regio, per multos dies cōtremuit. Quo tempore præter alia plurima Regni Neapolitani Oppida, celeberrimum illud, longèque speciosissimum Templum, quod olim Desiderius Abbas ædificarat, cum insigni Monasterio funditus euersum est; adeò ut, ne cubiculum quidem incolumē remanserit, quo redeentes ex agro Monachi succederent. Pestis subinde, & famæ toto orbe grassatæ: igneæ trabes visæ de Cælo ruere per plures dies. Interim Patres extemporarias domos è tabulis constructas inhabitarunt prope Templum, quò interdiù, noctuque diuinæ ludes ad Regulæ præscriptum concinerent: ab iniurijs temporum, vtcunque protecti, & illæsi. Moritur Guilielmus.

*Præfuit sex annos, ac mens aliquot.*

Horribiliter  
ræmotu Ca-  
finensis Bati-  
lica, totumq;  
Cœnobium  
concidit.

Ann. 1353.



## FRANCISCVS EPISCOPVS VII,

ABBAS LXXXV.

Ann. 1355



RANCISCI ab Innocentio sexto Pontifice in Casinatem Episcopum, & Abbatem creati, biennalis administratio, reparandæ domui, & recuperandis Cœnobij bonis magna solitudine impensa. Fato fungitur.

*Praefuit biennium.*



## FR. ANGELVS PRIMVS, EPISCOPVS VIII,

ABBAS LXXVI.



Fr. Angelus  
Acciaiolus  
Episc. primū  
Casinas, tum  
Aquilanus,  
postremò  
Flrentinus.

Fit Cacella-  
rius Regni  
Siciliæ, & Ca-  
sinas Metro-  
polita.

NGELVS Acciaiolus prænobilis apud Florentinos familiæ, multò nobiliorem Fratrum Prædicatorum Familiam elegerat, vbi sapientia, & probitate ita excelluit, vt à Romano Pontifice Casinibus primum, deinde Aquilanis, tum postremò Florentinis Episcopus sit datus. Sed Ludouici Regis inuitatu, rogatuq; ( qui Angeli consuetudine, atque opera in primis fidi, mirificè delectabatur) ad Casinatem Cathedram reuersus est. At, ne tantus vir ullam dignitatis iacturam dimisso Florentiæ Episcopatu subiret, ab ipso Ludouico Regni Siciliæ Cancellarius, ab Innocētio Ecclesiæ Casinatis Metropolita creatus est; Placuit nimirum Pontifici eam Sedem (quandiù Angelo

lo Pastore gauderet ) sublimius illud honoris fastigium  
retinere . Angelus impetratis à Carolo Rege pluribus  
privilegijs; Neapoli defunctus est, mense Octobri.

Ann. 1357

*Praefuit annis duobus, mensibus tribus, diebus septem.*

### ANGELVS SECUNDVS, EPISCOPVS IX,

ABBAS LXVII.



NGELVS Soranus, ex Monacho Ca-  
sinate Episcopus nonus, Basilicam , &  
Monasterium magna ex parte nobilibus  
ædificijs restituit. Sanctissimi Marty-  
ris Bertharij exuuias, ab Exedra in Té-  
plum translatas, sub ara maxima hono-  
rificè collocauit. Reipublicæ commodis seriò intentum,  
mors immatura præripuit.

Ann. 1361

*Praefuit quadriennium. Vacavit Sedes aliquot dies.*



### ANGELVS TERTIVS, EPISCOPVS X,

ABBAS LXVIII.



Ngelus inter Casinates Episcopos, vlti-  
mus ordine, sed Natalium claritate fa-  
cile princeps ( quippè qui Romæ ab gé-  
te Vrsina spectatissimæ nobilitatis pro-  
genitus ) demandatam sibi prouinciam  
suscepit, administravit annis omnino  
quatuor. Quo tempore Citrarij Oppidum in Calabria

Postremus  
Episcopus  
Casinas ex  
Vrsina fami-  
lia.

quo-

quorundam tyrannide sexdecim iam annos oppressum, in libertatem, ditionemque Monachorum antiquissimā vindicauit. Quidquid etiam cuius ad eam diem, per Casinates Antistites concessum fuerat, vnde aliquid Monasterio euenire posset incommodi, irritum esse voluit, ac nullum. Decessit apud Casinum.

Ann. 1365.

*Prefuit annis quatuor.*



## A P P E N D I X.

De restitutis Abbatibus, ab Urbano V,  
Episcopi dignitate abrogata.



*URBANVS Quintus, clarissimum nostri Ordinis decus, ac iubar, cum aliquot annis ante quā Pontifex crearetur, Casinum venisset: summa loci Religione, ac sanctimonia mirabiliter est captus. Verum ex una parte retroacti temporis opes, & magnificentiam: ex altera presentis status angustias, & quandam velut inferuitutis imaginem secum reputans, inter preces. ac lacrymas ad Sanctissimi Patriarchæ sepulchrum' voto se adstrinxit; Si quidem destituzione Numinis vicariæ Petri vices aliquando sibi in Christiana Republica obuenissent, sedulò curaturum, ut Casinas Domus nimis deppressa, & penè humiliacens, subleuaretur, ac nominatim rerum, & Coenobij adiministratio (Episcopi munere, ac nomine sublatis) ex vetere instituto, penes Abbatem resideret; hoc enim numerabat inter præcipua adiumenta, quibus posset Monachorum existimatio, ac res familiaris, facilius, comodiūsq; reparari.*

Votum Ur-  
bani V. de su-  
bleuādo Ca-  
sinati domi-  
cilio.

ITERVM ABBATES  
CASINATES,  
VRBANVS V. PONTIFEX MAXIMVS,  
ABBAS LXXXIX.



Taque Vrbanus ex Monacho Cluniacensi, & Abbe S. Victoris Massiliensis, ab ingenij, & integritatis summa laude spectatissimus, necdum Cardinalis, Romano Pontificatu decoratur. Delati super premi honoris diem eundem fuisse, quo

Vrbanus nec dum Cardinalis, creatur Pontifex quo die Casini votū nū cupauerat.

die Casini votum nuncupauerat, cognouit de Tabellariis, qui ex Italia in Patriam redeunti, literas, & faustæ gratulationis nuncios, ab sacro Senatu, in Gallijs commorante, ad Vrbem Mediolanum obuiam facti, detulerunt. Initio postea Magistratu, confestim summo studio perficere, & exequi curauit, quæ antea Sanctissimo Parenti Benedicto promiserat: Familia Casinas in tutelam, ac patrocinium recepta: Cœnobij regimen, perspectæ fidei, ac solertiæ procuratoribus demandatum: Abbatis appellatio, ac dignitas, sibi vni vindicatae: idque per annos quatuor, ac menses aliquot. Basilicam interim, & Monachorum ædes restitutas, magnifice exornauit. Auctus subinde sodalium numerus, & sacræ disciplinæ obseruatio, ad priscæ sanctitatis regulam diligenter conformata. Monasterio concessa immunitas decumarum:

S ple-

pleraque Oppida rursus in ditionem recepta . Neq; his in nostros homines collatis beneficijs contentus , firmatis, quæ ad eā diē Cænobio concessa fuerant, decretis, alia insuper largitus est, & ipsi loco , & eius Præsidi quām honestissima . Peculiari etiam diplomate sanciuit , vt in quovis Abbatum consessu, primus locus Casinati Abbati deferatur . Rerum capitalium iurisdictionem, per Carolum primum ademptam , à Regina Ioanna Casinatibus recuperavit . Ceterum prudentissimus Pontifex, ne Monasterium, ab iphius obitu, idoneo Moderatore destitutū, grauioris fortasse cuiuspiam damni periculo obijceretur, ( quod factu facillimum præuidebat ) quinto sui Pontificatus anno, Bartholomæum Senensem, multis rerum experimentis , & egregia probitate instructum , viuenti sibi adhuc , & incolumi, Casinatis Abbatiæ legit successorum .

Ann. 1367

*Coenobium administravit annis quatuor, ac mensibus aliquot.*



## BARTHOLOMÆVS,

ABBAS LXXX.

**B**artholomæus Senensis, ab Urbano Papa, Casinatis Præfeti honore, atque officio dignatus , dum institutam ædificationem strenue promouet ; repentina morte opprimitur, secundo suæ administrationis anno necdum expleto.

*Prefuit annum, ac menses nonnullos.*

Ann. 1369.

A N.

ANDREAS PRIMVS,  
ABBAS LXXXI.

Ndreas Fauentinus, Ordinis Montis Oliueti, Casinum ab eodem Urbano Legatus Abbas, propensa Monachorum voluntate exceptus est, eodem anno. Huic cupienti commendatum sibi munus quam cumulatissime explere, haud operosum fuit; quæcunque Sacri Sodalitij commodis, & amplitudini deseruirent, ab studiosissimo nostrorum hominum Pontifice impetrare: quamobrem quosvis Cœnobij prouentus, & iura omnia, Andreæ rogatu, Urbanus suis diplomaticis firmavit; addiditque insuper amplissima priuilegia, præsertim, ut si forte Neapolitanum Regnum Ecclesiastico Interdicto subdatur, Cœnobium Casinas, eiusq[ue] subiecta loca ( nisi si eorum peculiaris mentio fiat ) Interdicti lege, ac pena affici non intelligantur: ut Monasteria vtriusq[ue] Siciliæ, sexagesima omnium redditum parte, Casinatis domus instauratione adiuuat, ac promoveat. Huius etiā Abbatis industria, & solicitudine, Aedes S. Agathæ propè Monasterium, constructa est. Cœnobiū D. Benedicti Capuanum, ædificiorum cultu, & discipline reformatione illustratum. Sacra Tépli ornamenta, multis alijs pretio, & opere nobilibus comparatis, insigniter accreuerent. Monachi apud Casinum ad sanctiss. Regulæ præscripta viuentes, centesimum numerum expleuerent. Magna etiam prædiorum pars, quæ deperierant, recuperata. Demum optimè de sanctiss. Collegio promeritus diem obiit 13. Kal. Octobris.

Ann. 1374.

Præfuit annis quinque.

S 2

PE.



P E T R V S Q V A R T V S ,

A B B A S L X X X I I .



Etrus de Tartaris , Romæ honesto loco natus , gentis , & Patriæ nobilitatem , eximijs virtutibus , animi præsertim firmitate , & constantia cumulauit . Is primùm S. Laurentij extra muros Vrbis , deinde Casini Abbas , à Gregorio vnde cimo creatus est , maxima totius Sodalitij gratulatione . Diù nostros homines rexit ( quippè annis vnde uiginti , mensibus octo , diebus decem , ac nouem ) sed non diutius rexit , quam sanctius , ac prudentius . Templum arcuato opere perfectum , pulcherrimis laquearibus intrinsecus decorauit , plûbeis laminis cooperuit extrinsecus . Odeo in media Ecclesia constituto , haud parum addidit elegantiæ , ac nitoris . Hospitalem domum in ipso Cœnobio inclusam , ne aduenientes peregrini parum commode admitterentur , magna impensa restituit . Conscripto milite , plura Monasterij Oppida ( illud præsertim , quod Castrum Cæli appellant ) propè Aquinum , ab iniqua aduersariorum potestate , extorsit . Oppidanos Plumbariolæ , Fractarum , & Citrarij in Calabria , qui à Monachis defecerant , rursus adegit , iussa consueta exequi , & fidelitatis sacramentum obire ; quod item à ceteris populis Casinati ditioni subiectis , est præstitum . Germanenses fluxa fide , ad rebellionem inclinatos , in officio continuit : Ab Urbano sexto Pôtifice ( cui aduersus Romanæ Ecclesiæ ,

siæ perduelles magno adiumento fuerat) id consequutus est beneficij, ut præter alia decreta, Casinatibus merum, & mistum imperium, in suæ ditionis populos, recenti diplomate stabiliret. Caroli tertij animum virtutis præstantia, & suppeditatis ad Regni recuperationem auxilijs, vsque eò demeritus est, vt totius Regni Magnus Cancellarius constitutus ab eo sit, & præclarissimo elogio cohonestatus, vti liquet ex priuilegij ad ipsum Abbatem transmissi verbis: cuius particulam, visum est hunc in locū transferre. Constantissimus ( inquit ) et tenacissimus cultor fidei apud Sanctissimum D.N. Papam, ac S.R. Ecclesiam fuisti, Zelator nostri nominis, et honoris; amator bonorum, correptor reproborum: quem non terruerunt tempore turbinum horrenda, et formidanda pericula: sed quanto humana perfidia periculosius te inuasit, tanto fortior, et robustior, armatus veritatis clypeo surrexisti ad pugnam, in virtute Diuina, et fide Catholica, ad aliorum Regulam, et doctrinam; difficultatem rerum, et ponderum superando. Fuisse autem Cancellarij munus, longè honestissimam dignitatē; nobilissimæ familiæ Thomas Perleoniū ( qui Petro Abati eodem in munere vicariam operam nauauit ) haud obscurè demonstrat, quod in antiquis Regni Neapolitanī monumentis memoriarum commendatum reperio. Venerabilis vir Thomasius de Perlionibus de Vrbe, Locumtenens, Venerabilis, viri fratris Petri de Tartaris de Vrbe; Abbatis Sacri Monasterij Casinensis, Regni Cancellarij. Ladislao item Regi acceptissimus, multis ab eo donatus, est in rem Cœnobij beneficijs. Oppidum Pontis Curui (deiecta inde Hérico Fundensi Comite) pristinæ Monachorum ditioni subiecit. Tanti Præsulis fama longè latèque percrebescente, plurimi sacro Cœnobio possessiones, ac fortunas propensiissimis animis obtulere. Ad ultimum Petrus re-

Illustre testi-  
monium Ca-  
roli Regis de  
præclarissi-  
mis Petri do-  
tibus,

In regesto  
Regis Caro-  
li tertij 1385  
& 1383. fol.  
222.

tum

rum præclarissimè gestarum multitudine, & gloria me-  
Ann. 1395. morabilis decessit 3 nonas Junij.  
Præfuit annis unde viginti, mensibus octo, diebus decem, ac nouem.

Vacavit Sedes menses aliquot.

H E N R I C V S,

A B B A S L X X X I I .



Enricus Thomacellus Patricius Neapolitanus, quo tempore Cœnobium S. Salvatoris in agro Teatino temperabat, à Bonifacio nono, ipsius perstudioso, & affine, Petro de Tartaris subrogatur. Summi Pontificis propinquitate, ac benevolentia usus, omnium Cœnobij priuilegiorum confirmationem, aliaque insuper de novo impetravit: in his, ut Monasterium Casinas æquè, ac Romana Ecclesia, cœtenaria præscriptione gauderet; ut sacerdotia Casinatis Diœcesis, quæ deinceps vocarent, bona cum venia sedis Apostolicæ, Monasterio alendæ sodalitatis nomine, accederent. Quæcunque Castra vicini Magnates occupauerant, Henrici studio, & contentione, iterum redacta in potestatem Cœnobij. Fregellæ, & S. Magni Aedes apud Fundos (quæ Bonifacius Pontifex Ioanni Thomacello iure consanguinitatis donauerat) Gregorij duodecimi benignitate, ac subsidio, sunt receptæ. Cetrarium in Calabria, & quidquid Ladislaus Rex infesto milite invaserat, ipsiusmet Regis iussu restitutum: additaque ex-

vsi

usu Cœnobij plura beneficia. Fraetæ ab Henrico Comite Fundens denuo captæ, coacta militum manu, denuo Casinatibus vindicantur. Ceterum fortuna Henrici rebus, diu perbenignè velificata, demum improbè, atq; impotenter reflauit. Ladislaus Rex, Henrici antea studiosissimus, immutato de repente animo, ipsum in spolietanam Arcem ad vincula, & compedes relegavit, quod Romanæ Sedis, & Ioannis Papæ rationes, ardentius quā ipse vellet, ac vehementius tueretur. Henricus gloria morte in vinculis obita, aduersæ fortunæ procellis iactatus, citius, securiusque ad immortalitatis portum peruenit. Exinde à Ladislao quotidiè seipso deteriore, Oppida Monasterij capta, militumq; præsidijs communita. Monachi, præter duodecim, reliqui omnes Casino exatti. Domus procuratio, durissimo hoc tempore, penes Priorem, & Supriorem (quos vocant) ad triennium remansit. *Præfuit annis undeviginti, mensibus aliquot.*

In Spoleta-  
nam Arcem  
Henrici iustu-  
conscitur.

Ibidem Feli-  
cē vitæ exi-  
tum sortitur  
Ann. 1416.

## PHYRRVS, ABBAS LXXXIV.



Hyrrus Thomacellus Henrici Abbatis nepos, ac successor, constantis animi laude, Patruo nihilo inferior, tandem prorsus annos, quo ille, Casinatibus præsedit. sub initia regimini, Ioannæ Reginæ permisso, Oppidis Cœnobia recuperatis (quæ regio nomine attinebatur) iura, & annuos redditus amplificauit. Roc-

Ann. 1419.

cam

cam Ianulæ ( per ea tempora munitissimam ) numerata  
 Reginæ pecunia ; redemit . Eadem Ioanna , & Martinus  
 Pontifex ( quæ erant in Phryrum animi propensione ,  
 ac studio ) confirmatis Cœnobio veteribus decretis , alijs  
 præterea , tum ipsum , tum illius subditos dignati sunt .  
 Omnes Casinatis ditionis populi , Phryro tributum pœp-  
 dere , fidelitatis Sacramento , ex veteri consuetudine , ac  
 formula , instaurato . Rebelles aliquot , metu , ac vi illata ,  
 ad officium , & saniorem mentem reuocati . Rebus hunc  
 in modum ex animi sententia fluentibus , confessim exor-  
 to inter Alfonsum , & Ludouicum Reges , atroci bello ,  
 omnia in deterius relabuntur . Monachi Cœnobio pul-  
 si : Castella per eā occasionem , alia ab alio Regum exer-  
 Phryrus Ro- citu insessa : Phryrus ipse Romam abductus , custodiæ  
 mam in vin- mancipatur . Sed breui in libertatem , & locum pristinū  
 cula abdu- restitutus , aliquot ex amissis locis , labore , atque industria  
 tur . recuperat . Domicilium Casinas elegantibus ædificijs ,  
 Libertati , & dignitati pri frequenti sodalium numero , & exquisita disciplinæ re-  
 ffinæ restitu- formatione , pristino splendori restituit . In Germanen-  
 itur . ses , si quis vñquam alias , beneficentissimum se præsttit ,  
 eorum Vrbe mœnibus circumsepta ; in istuto Canonico-  
 rum Collegio , eique certis prædijs , ac vestigalibus in  
 singulos annos , assignatis . Erecto etiam Sacrarum Virgi-  
 num Cœnobio , quod Diuæ Scholasticæ patrocinio , ac  
 nomine cohonestatum , haud prius , quā anno MDLXX ,  
 desijt à Sanctimonialibus habitari . Conscripto milite  
 Oppidaños S. Petri in fine ( vt vocant ) ab impotenti cu-  
 iusdam dominatu , ac tyrannide vindicauit . Postremò  
 clarus de Phyrri virtute , ac prudentia rumor , Eugenium  
 quartum perpulit , vt eius fidei Spoletanum Ducatum

com-

committeret. Itaque Abbas dum suscep<sup>t</sup>e prouinciæ in-  
uigilat, apud Pontificem proditionis insimulatur ( iure ,  
an iniuria incompertum ) quasi ditionem, cui p<sup>r</sup>æcerat ,  
sibimet usurpare , occultis artibus , machinaretur . Ergo  
Eugenij iussu, Romam in Adriani Molem abductus , ibi-  
dem naturæ concessit . Vir planè dignissimus , qui me-  
liore fortuna, & mitiore vitæ exitu donaretur . Sede in-  
terim per annos octo vacante, Cœnobium, Pontificis ius-  
su Prior, ac Supprior moderantur .

*Praefuit annis viginti. Vacauit Sedes annos octo.*



### A N T O N I V S,

*A B B A S L X X X V.*



Ntonius Carafa Neapolitanus, clarissima  
è familia , & Urbe , Abbas vltimo loco  
renunciatur : praefuit octo annos , ac tri-  
duum . Alfonso Regi charus , & accep-  
tus in paucis , haud sanè exiguam bono-  
rum partem recepit , quæ p<sup>r</sup>æterita bel-  
la , & militaris licentia rapacitas , abstulerant . Neque  
diù in eo laboratum, vt Alfonsus Cœnobij Oppida, posses-  
siones, ac fortunas per ampli decreti concessione validius  
muniret , firmaretque . Instituit , vt festi dies Sanctiss.  
Martyris Bertharij , & Sancti Amici ( Monachij itidem Ca-  
sinatis ) anniuersaria solemnitate, apud Casinum celebra-  
rentur . Demum Cœnobij rebus utcunque subleuatis , &  
religiosæ disciplinæ obseruantia : vitæ quoque cursu ca-  
stè , innocenterque traducto memorabilis , decessit . In su-

T

pre-

Spoletanæ  
Arci p<sup>r</sup>æfici-  
tur .

Prodigionis  
insimulatur .

In Adriani  
Molē conie-  
ctus, ibidem  
occubuit .

Ann. 1437

premo: spiritu constitutus , conuersa ad præsentem Monachorum coronam oratione , A meo ( inquit ) obitu per annos quinquaginta integros , Abbatem habebitis nullum . Antonij prædictio , rei euentu perfectissimè comprobata : nam eo defuncto , Cœnobium homini laico commendatum , tandiù Abbatे caruit , donec Congregatiō nem Sanctæ Iustinæ de Padua , sibimet tanquam capiti copulauit , eo prorsus euoluto a nnorum spatio , quod Antonius sub mortem vaticinando præfinierat .

*Præfuit annos octo , ac triduum .*



## A P P E N D I X . DE CASINATI MONASTERIO.

Ad Abbates Commendatarios (quos appellant)  
Deuoluto .

Alfonſus I.  
Rex Arago-  
nus Cœnobi-  
um Casinas  
libertate  
exiit



*Asinates quamvis plurimis , grauissimisque calamitatibus , s̄epissimè conflictati , atque oppres- si , tamen Coenobij , ac bonorum ius , ex omnimodam libertatem amiserant nunquam . Alfon- fus . Rex inuentus est , qui tantum mali Sacro Coenobio inferret primus ; nam assiduis bellis , quæ alia ex alijs serebat , exinanito ærario , ingen- tem æris alieni summam conflauerat ; quo deinde expedire se cum requiret , rationem iniicit ; qua sine mutuatione , vel usura creditæ sibi pecuniae , partem dissolueret , Casinatis nimirum Abbatiae ve- etigalibus , Eudouico Scarampo , præcipiū inter suos credidores filio commendatae : Romano interim Pontifice ( nedum Monachis om- nibus*

nibus) frusfra obnitente, ac reclamante: tametsi Ludouicus suo munere prudenter, ac religiosè perfunctus est.

## L V D O V I C V S S C A R A M P V S

Commendatarius Primus,

A B B Á S L X X X V I .



Vdouicus Scarampus Patauinus, Patriarcha Aquileiensis, Cardinalis postmodum, & Albani Episcopus, Alfonsi Regis studio, & contentione, primus omnium electus est: cuius tutelæ, ac patrocinio Casinas sodalitium committetur. Is nihil curæ, & solicitudinis omisit, quod commissâ sibi domum subleuare, atq; adeò exornare posset, & pristinæ maiestati restituere. Neque religiosas cogitationes, & magnanimos Ludouici conatus, sequentium quoque operum, magna quidem ex parte, per annos ferè undecim, felix eventus non excepit, Anteaëti temporis calamitas, tota Campania, gliscientibus bellis, Domicilium Casinas miserabiliter afflixerat, prorsus, ut semirutis ædificijs, pulsisque habitatoribus squaleret domus: cælestis vitæ ratio penè intermortua: erepta ab hostibus Oppida: desertæ ab Agricolis possessiones, acceptæ cladis magnitudinem, apertissimè testaréntur. Ludouicus igitur Alfonsi fauore, ac præsidio nixus, bona deperdita recuperauit. Monasteriū, exrupto Dormitorio, Turri, ac Peristylio magna partē restitutū: cōuocatisq; per eū, numero benè ma-

Ann. 1453.

gno sodalibus, opportunitas exhibita; sanctissimā disciplinā, quā accuratissimè excolendi. Cœnobium S. Liberato-  
ris, eiq; subiectis Oppidis, exturbato indè iniusti nomi-  
nis possessore, pristina libertas est restituta. Ab excessu  
Alfonsi Regis, quæcunq; loca Andegauenses Casinatibus  
vi, atque armis ademerant, vti Cœnobio restituerentur,  
Pij Pontificis, & Ferdinandi Regis beneficio, perfecit.  
Demum Romæ cum esset, mortem obiit mense Maio.  
In Diui Laurentij in Damaso sepultus.

Ann. 1465

*Præsedit annis decem.*

## PAVLVS COMMENDATARIUS II.

ABBAS LXXXVII.



Auli secundi Pontificis studium, atque  
humanitas, in Casinatem familiam, ab  
Ludouici obitu, mirabiliter enituit. Is  
cum ægrè admodum, ac dolenter fer-  
ret, vetustissimam totius religionis, ac  
sanctimoniae Sedē, ad extraneos Præ-  
sides, ideoque Monastici instituti, aut  
rudes omnino, aut parum peritos, deuolutam: cumque  
iustis de caassis (ne grauiora videlicet incommoda emer-  
gent) Cœnobio prohiberetur, optatam in præsens opē,  
ac libertatem impertiri: statuit prudenti consilio, in fidē,  
ac tutelam, illud sibi ipsi vindicare. Quod honorificum  
in primis illi sodalitio accidit, & fructuosum maximè.  
Quamobrem aliorum Pontificum exemplo, nō dedigna-  
tus

Paulus II. Pō-  
tifex Abba-  
tis Casinatis  
mūhus, ac  
nōmen sibi-  
met usurpat.

tus Casinatis Abbatis nomen, ac munus sibi usurpare: per homines spectatæ fidei, & industriæ, Cœnobium gubernauit. Illud verò spectauit in primis, ac perfecit, ut laxiorem Sacrarum legum custodiam, ad priscæ observationis normam adstringeret. Tum ex præscripta forma Monasterium ædificari iam cœptum, perfectissimè absoluīt: adiuncta etiam ædium parte, ad hospites excipiendo maximè capaci, & accomodata, lura, & redditus recuperauit, auxitque. Syluam Regiam in Theanensi agro sitam, Casinatibus restituendam curauit. Ad hæc multorum concessione beneficiorum, non minus Casinatis Cœnobij Patronum, ac Patrem peculiarem, quām vniuersalem totius Christianæ Republicæ, se præbuit. Romæ defunctus in S Petri tumulatur.

Ann. 1471.

*Prefuit annis sex, mensibus duobus.*



## IOANNES COMMENDATARIUS III.

### ABBAS LXXXVIII.



Oannes Ferdinando Aragonio Rege ortus, & sacra purpura insignis, in demortui Pontificis locum, Casinas Commendatarius subrogatur. A Sixto Papa quarto, & à Ferdinando Patre (dū Casinum præsens inuiseret) plura priuilegia est consequutus, tutandis Monasterij rebus, & amplificandæ sodalium existimationi opportuna. Tēpli Odeū sedilibus opere vermiculato elaboratis instruxit, ijs ipsis, quæ

quæ, tametsi æui dinturnitate multis in locis vitiata, operis tamen elegantiam, & nitorē, hodieque præferunt. Pretiosas vestes, ad Sacerdotum, Sacris operantium usus, & Templi ornatum, magno numero, regia prorsus munificentia coemit. Extant adhuc parientinæ eius palatij, quod non longè à Sancto Germano extruendum cūrauerat, altitudine, & laxitate insigni. Ceperat illum

Nihil non  
agit, ut DD.  
Benedicti, &  
Scholasticæ  
corpora in-  
ueniat.

cupido Sanctiss. Patriarchæ Benedicti, eiusque Sororis Scholasticæ sacra pignora, si qua ratione posset, inueniendi. Iussit igitur sub ara maxima fabros cœmentarios diligenter quaqua versus terram effodere, donec latitantē thesaurum aperirent: sed detectis iam venerandis cineribus SS. Constantini, Simplicij, & Carolomani Regis, ac Monachi, atq; ex eo loco in Sacrarium traslati, cum alacres opus intensiore cura prosequerentur, crebris tonitruis, & frequenti terræmotu, imbriumque profluentia perterriti, non dum inuentis DD. Benedicti, & Scholasticæ corporibus (quod erat præcipue in votis) à perquirendo destiterunt. Multæ, ingentesq; calamitates subinde toto Regno sunt consequitæ, ac bellis præsertim ciuilibus, postea est laboratum. Quin Ioannes eodem anno, Romæ vi pestilentiae correptus occubuit, Mense

Iunio: Reliquis etiam omnibus, qui aliquam operam, in illud opus contulerant,

intra biennium extin-

Etis.

*Præfuit annis quatuordecim, mense uno, diebus undeviginti.  
Vacauit Sedes annum integrum.*



IOAN.

IOANNES COMMENDATARIUS IV,  
ABBAS LXXXIX.



Oannes Mediceus Cardinalis (cui deinde Pontificatum adepto, Leonis decimi nomen est inditum) inter Casinates commendatarios, postremò loco eligitur, annos natus, non amplius duodecim; administrationis tamen suscep<sup>t</sup>io, in annum proximè sequentem dilata. Multis ab eo beneficijs Casinates sunt auëti; nam Cœnobium S. Liberatoris in Samnitibus, nescio cui commendatum, Casinati (vndē disiunctum fuerat) aggregauit. Oppida etiam nonnulla, quæ per supradictos Commendatarios necdum recuperari potuerant, ipsius industria, in potestatem deuenere. Nominantur inter hæc, Oppidum Collis Sancti Manni, & Sancti Petri de Auellana. Demum Iulij secundi Pontificis voluntati, atque arbitrio Casinatem Abbatiam liberè permisit.

Ann. 1504.

*Præfuit annis ferè septendecim.*



APPEN.



## APPENDIX,

Q V O P A C T O C O N G R E G A T I O  
Sanctæ Iustinæ de Padua, Sanctissimi P. Benedicti  
ope, à Magno Consaluo per quietem con-  
specti, ad Cœnobium Casinas  
sit aggregata.

Vide Marcū  
Ant. Sabelli-  
cū lib. 10. Ex-  
emplorū, de  
Consaluo  
Magno.



Magnus Cō-  
salus D. Be-  
nedicti opem  
implorat, ar-  
cta Gallorū  
obfida  
pressus : à  
quo libera-  
tur.

A D. Benedi-  
cto cōfirma-  
tio, iuberur  
que manus  
cū hoste cō-  
ferere.

Victoria de  
Gallis refert  
longè glorio  
fissimam.

Orrò Julius, Casinatem Abbatiam, à Ioanne  
Mediceo Cardinali enixè contenderat, Consal-  
ui Magni assiduis, ac penè importunis preci-  
bus, efflagitatus. Hic enim Ferdinandi Regis  
Hispaniae, copiarum in Italia Imperator, cum  
intra Barulum inclusus, à Gallis semestri iam  
absidione acriter adeò premeretur, ut p̄e vi-

elus inopia, quoduis herbarum genus, ac mures ipsi iam cessissent in  
cibum; nec ulla comeatus, & subsidij spes in proximo ostenderetur;  
tam difficiili tempore, ac loco, ad preces, & vota conuersus est: D.

Benedicti ope, ac patrocinio, deploratis Hispanorum rebus, supplici-  
ter implorato; nec frustra. Nam in sequenti nocte, per quietem à  
suo Tutelari Benedicto confirmatus, bono esse animo iubetur, hostem  
statuto loco, atque bora laceffere ad prælium, ex quo certam victoriā,  
ac triumphum effet relaturus; tantum recordaretur, ubi Cam-  
pania Regno potitus effet, suos Monachos in Casinatis Coenobij libe-  
ram possessionem afferere.

Ex nocturno viso Dux, ac milites ere-  
cti, capeſſunt pugnam, tanto animi ardore, atque audacia, ut Gal-  
lis longè numero superioribus, partim cæsis, partim in fugam coniectis,  
victoria breui ad Hispanos inclinauerit; qui temporis, & celestis  
patrocinij beneficium occupantes, inuadere hostium Caſtra, prædas  
agere, vicinis locis deinceps potiri: donec capta Neapolis (Principe  
Regni urbe) reliqua Oppida, & Urbes, sponte sua ditionem fe-  
cere

cere . Rebus hunc in modum, præter expectationem, prodigiose transactis : Consaluuus, annuente Ferdinando Rege , Campaniam omnem Proregis dignitate, atque imperio moderabatur . Iamque tam insignis victoriae ( quam D. Benedicti auxilio retulerat ) optimè conscius, ac memor, de voto persoluendo , religiose cogit abat . Omnes. igitur omnium Coenobitarum Antistites ( quotquot Sanctissimi Patriarchæ Regulam Neapoli profitebantur ) ad se accersiri mandat ; visurus, cuinam sodalitio , Domicilium Casinas, ex voti obligatione attribueret . Hoc inter, simul ac Vincentium Neapolitanum ( id temporis ad S. Seuerini Abbatem) adspexit , cucullo laxioribus manicis, multiplice plicatura concinnato, atratum, ac grauem; intento in eum digito: hic enim uero ( inquit ) ille est, qui Casinatem saltum , cum amplissimo Coenobio retulerit , ex obiecta mihi specie, D. Benedicti habitu, quam simillimus . Mox cum Ferdinando Rege, ac Iulio Papa, summa sollicitudine per literas, ac nuncios agere non desstitit : donec Monasterium Casinas, ad eam Congregationem adiungeretur, cui S. Seuerini Sodales antea copulatos compererat . Hæc autem Sodalitas, ab insigni apud Patauinos Coenobio, deductis ortu, ac nomine, Congregatio Sancte Iustinae de Padua vulgo appellabatur: exquisito renascentis monasticæ disciplinæ cultu , atque obseruantia; Coenobiorum numero , atq; amplitudine iunctisque inter se, tum domicilijs, tum Monachorum animis, arctissimo religiosæ coniunctionis, ac pacis foedere: latè per totam Italiam celeberrima . Hanc igitur seculi proximè præteriti, anno quarto, Coenobium Casinas ( a gente in primis, atque admittente Consaluo ) sibi met tanquam capiti copulauit : transfusa in eam de suo nomine , Congregationis Casinensis appellatione . Visuntur etiam num Casini sacerdotales amictus ex veste attalica crispante, qua Consaluuus Neapolim parta de Gallis Victoria spectabilis, triumphali maiestate, ac pompa iniuerat . Ex hac porro serie , atque euenu rerum, quiuis ( opinor ) facile animaduertet , D. Benedicti numen quantopere Hispanorum Regum rationes, atq; amplitudinem promouerit . Scilicet prouiderat Neapolitanum Regnum, haud longo post tempore, ad Austriacos Principes

Dat operam  
ut Cœnobium  
Casinas no-  
stris Mona-  
chis restitu-  
tur.

Insignis, & ce-  
leberrima Cœ-  
nobio gregatio Sä-  
cta Iustinae  
de Padua, Ca-  
sinati Cœno-  
bio adiungi-  
tur.

Vide Arnol-  
dum Vuiione  
in principio  
ligni Vitæ. (*sui generis sobolem*) diffuso per tot Prouincias, ac Regna dominatu,  
et Catholicorum Regum non titulo magis, quam professione, atq;  
actionibus glorioſſimos, deuolutum iri. Quorum in ditione futu-  
rum erat, ut plurima sui instituti Collegia (Casinas præſertim) san-  
ctitate, atque opibus florerent, gauderentq; opima pace, ac religioſo  
otio, pijs imorum Principum munita patrocinio, liberalitate cumu-  
lata, decorata priuilegijs. Ac mihi quidem illud etiam hac in re spe-  
ctasse videtur Sanctiss Patriarcha, ut, quemadmodum Francorum  
olim Regibus, per ſui ordinis homines, Gallie ſceptrum, ac diadema  
conciliauerat, ſic Hispanos Reges, bona Italie parte, longèq; pulcher-  
rima donandos, haud diſimiili beneficio, per ſe ipſe adiuuaret.

Vide Paulum  
Aemilium de  
rebus gestis  
Fractoru lib.  
2. in Pipino.  
Bonifacius,  
Bruchardus,  
& Zacha-  
rias Ponti-  
fex (quorum  
opera Pipi-  
nus Regnum  
obtinuit) om-  
nes fuere Mo-  
nachi è no-  
ſiris.

## ABBATES QVINQVENNALES, S V B C O N G R E G A T I O N E C A S I N E N S I .

E V S E B I V S ,

A B B A S L X X X X .



Ann 1505.

Eusebius Co-  
gregationis  
S. Iustinae Pra-  
ses centuo  
Monachis ſu-  
parus Cas-  
niꝝ adit, eā  
domum Ab-  
batis mune-  
re modera-  
turus.

Vſebius Mutinensis, Congregationis Sā-  
etæ Iustinæ caput, ac Præſes, primus ex-  
eadem ſodalitate Casinensis Abbas re-  
nunciatus, religioso centum Monacho-  
rum comitatu ſtipatus Casinum adjit;  
Sacrum Cœnobium ex Sanctissimæ re-  
gulæ præſcripto, & recens usurpatæ conſuetudinis lau-  
datissima formula, moderaturus. Porrò Eusebius ad-  
uentantem Casinates obuiam effusi, pleno hilaritatis vul-  
tu,

tu, ac libentissimis animis excipiunt, omnibus religiosi  
 obsequij, ac reuerentiæ argumentis, domum officiosissi-  
 simè deducentes: excepti vicissim ab Eusebio, eiusque  
 socijs Casinates, nullam in eos humanitatis, nullum be-  
 neuolentiæ signum omittentibus. Ceterum ex hac non  
 minus animorum, quam instituti, ac nominis mutua in-  
 ter ipsos communicatione, dici non potest, quanta vtris-  
 que oborta sit integerrimæ voluptatis, ac lætitiae afflu-  
 entia; cum Patauinæ Sodalitatis alumni, quo ipsi frueban-  
 tur, castissimæ disciplinæ bono, cum omnibus illud Diui  
 Benedicti Cœnobijs, communicatum peroptarent: Ca-  
 sinates verò apud Proregem Neapolitanum, ac Roma-  
 num Pontificem vehentissimè contendissent, vt, quod de  
 priore Sacrarum Legum cultu admittendo agitari cœ-  
 ptum erat, quām citissimè perduceretur ad exitum:   
 cum perhonorifica tamen earum conditionum accessio-  
 ne, quæ Casinatis Cœnobij, omnium toto Orbe clarissi-  
 mi, amplitudinem, ac sanctimoniam declararent. Eu-  
 sebius igitur in suo munere obeundo, cùm alias virtutes  
 multas: tūm verò in primis mirificum ardorem religio-  
 sam disciplinam instaurandi, & indefessi animi studium  
 præ se tulit. Hinc sacræ militiæ copias augere: legum;  
 quas Casinates profitebantur, in uiolatam obseruationem  
 exigere: vicissim quibus rebus illi indigerent, antequam  
 peterentur, ipse vltrò deferre, & abundè omnibus elar-  
 giri. Neque interim bonorum Monasterij, ac iurium  
 procuratio, vel omissa, vel remissæ, negligenterq; pertra-  
 etata. Multis à Iulio secudo Pontifice: multis à Ferdinando  
 Rege Catholico, impetratis priuilegijs, res Casinensis sta-  
 bilita. Cleri disciplina ( cui per multos annos vigentibus

bellis, soluta militum consuetudo, ac familiaritas, non pa-  
rum labis, ac sordium asperserat ) per utilis Synodi cele-  
bratione, repurgata. Demum Eusebius, cum se Ab-  
batem, ac Præsidem egregium præbuisset, Mutinæ in  
Patria excessit, ibique in Sancti Petri Cœnobio sepul-  
tus est.

Ann. 1507.

*Prefuit biennium.*

## ZACHARIAS,

## ABBAS LXXXI.



Acharias Patauni Cœnobij sodalis, tra-  
ditam sibi à Patribus Casinatem Præfe-  
cturā auspicatus est, eodem anno. Egre-  
giæ virtutis opinione, ac merito, apud  
Ferdinandum Hispaniarum Regem co-  
gnomento Catholicum, apprimè gratio-  
sus, facilè ab eo impetravit, vt trium millium aureorum  
pensione ( quam Casmates adhuc Cardinali Mediceo  
quotannis soluebant ) super alijs sacerdotibus imposta,  
Cœnobium levaretur: & in Oppido Cetrarij merum,  
misticumque imperium, recentis Decreti munere, securius  
retineret. Ab Iulio Pontifice diploma est consequutus,  
cuius concessu, ritè posset bona Monasterij, & fortunas  
iniustè possidentibus ( quamuis extrà Casinatem Diœce-  
sim morarentur ) communibus Christianorum Sacris in-  
terdicere. Latifundia, quæ in agro Salernitano, & Op-  
pidi Murtulæ per ampla, Cœnobio deperierant, adhibi-  
to

to studio recuperauit. Demum ad alterius Monasterij administrationem digressus est.

Ann. 1510.

*Præfedit annos tres.*

## GRATIANVS,

## ABBAS LXXXIII.



Ratianus Mediolanensis, in Mantuano Cœobio educatus, Zachariæ regimen apud Casinum excepit. Monasterij subditos, renuentes decumas persoluere, Ferdinandi Regis Catholici gratia, & authoritate fretus, compulit, ab antiquo suæ obligationis instituto, non recedere. Castrum Sancti Petri de Auellana, à Iacobo Scaliono, Innocentij Pontificis concessione occupatum, sedulitate, ac diligentia peruicaci effecit, ut Monasterio restitueretur. Casini demum generalis totius Congregationis Præses, mortali vita defungitur.

Ann. 1511.

*Præfuit annum cum dimidio.*



## IGNATIVS PRIMVS,

## ABBAS LXXXIII.



Gnatio Squarcialupo, nedum claris apud Florentiam natalibus; sed ingenij etiam præstitia, & nostri instituti exacta obseruatione cōspicuo, post Gratiani excessū Casinensis Præfectura obuenit. Is mirus religiosæ disciplinæ cultor stu-

dio-

diosissimè aduigilabat , ne quid; ad eam euertendam , vel impunita subditorum licentia moliretur , vel Rectorum oscitantia , nimiumvè indulgentis animi facilitas permitteret : neq; tamen potiori sui muneric parti cum primas daret , ea interim minus tractabat accuratè , quibus Cœnobij rationes , & cōmoda retineri possent , vel augesce-re . Oppidum Pescularum non longè ab Aesernia , prædium quoque beneficiarium Sancti Stephani Terracinēse , aliaque bona , quorum iacturam Monasterium fecerat , denuo Casinati ditioni subiecit . Aedificiorum , quā ma-ficentia , quā multitudine , domum varijs locis antiquitate deformatam , non restaurauit modò , sed multis etiam partibus amplificauit , ornauitque . Triginta gradus ex marmore ( quibus ad atrij vestibulum ascensus est ) in insignem longitudinem excurrentes , Peristylium item Aedi sacræ obiacens , & Templi Sacella , quæ ad Aquilonem vergunt , inter eius opera numerantur . Sacrarium quoque ( quod etiam num perdurat ) amplum in primis , & capax , armarijs ad vtrunque latus maculosa è nuce , scitè , eleganterque cælatis , instruētum . Monachorum cellulæ ( quæ prius compactis inter se tabulis constabant ) lateritijs parietibus cōmunitæ : Lauacrum , & Cisterna ingenti Sodalium cōmoditate , atq; vsu extructa . Codices vastæ molis ( ex quibus Patres in odeo diuinæ laudes , atq; hymnos concinunt ) pulcherrimo charactere prescribi voluit , miniatisq; picturis venustissimè exornari . Constituta nescioquæ Citrarij oppidanis , magno vsui futura euulgaturus , ab ipsomet Ferdinando Rege approbari , firmariq; curauit ; à quo item pluribus priuilegijs donatus est ; neq; pauciora , minorevè beneficia retulit à Leonis

nis decimi Pontificis humanitate. Elatos, arrogantesq; Germanensium spiritus, egregie repressit, extorta ipso-  
rum è manibus præda, quam Sacrum Monasterium sce-  
lestissimè depopulati, diuitem, ac numerosam asporta-  
bant. Casino ter præfuit, sui semper regiminis ita dècur Ann. 1516.  
so curriculo, ut infixa in animis sodalium eximiæ virtutis,  
ac prudentiæ memoria, discesserit. Demù per totam Cō-  
gregationem religionis, ac solertiæ fama, ingenijque,  
& multiplicis doctrinæ monumentis clarissimus, sui  
apud omnes sodales relieto ingenti desiderio, Floren-  
tiæ decessit.

*Præfuit quinquennium, & aliquot menses.*

### VINCENTIUS,

*ABBAS LXXXIV.*



Incentius Neapolitanus, è disciplina S. Seuerini apud eandem Vrbem, sapien-  
tia, & rerum vsu apprimè clarus, quo tempore vniuersæ præsidebat Cōgra-  
tioni, Casinatis Cœnobij gubernaculo admouetur. Hunc Consaluus Magnus

Neapolim ad se accersitū magno in honore habuit, egitq;  
cū eo per studiosè, super aptioribus consilijs, ad priscam  
sanctitatem apud Casinum, serio reuocandum capeſſen-  
dis. Quamobrem Vincentius, & sua sponte, & Consalui  
Præregis hortatu incitatus, omnes ingenij, atq; industriæ  
neruos intendit, quo sanctissimæ leges exactissimè custo-  
direntur à Monachis, & superiorū téporū virtus, cœlestisq;

illa

illa vitæ species, inter suos res floresceret. Nonnullā etiam curarum partem exornandæ domui impendens, vestibulum ipsum exædificat, egregisq; picturis conuestit: Dormitoria cubicula, quibus extremam manum Ignatius imponere nequiuera<sup>t</sup>, ad fastigium perduxit. A Leone decimo, propensionis erga se animi Pontifice, aliquot priuilegia est consequutus. Iurisdictionem causarum, Foro Germanensi à Ferdinando Rege concessam, interitus contra Neapolitanum Proregein, acerrimè propugnauit. Monasterium Capuanum (cui à Diuo Benedito nomen) curauit, effecitqne ut ampliori Cœnobitarum numero frequentaretur. Dedit insuper operam, ut onerum immunitatem, qua Sancti Liberatoris, Sancti Petri de Auellana, Citrarij<sup>q</sup>; Oppida gaudebant, simulque iurisdictionem criminalis Fori (dum solemnis mercatus apud Sanctum Germanum celebratur) Ferdinandus Rex, nouo priuilegio firmaret. Quibus ingenti sua cum laude, nec minore Cœnobij, ac religiosæ disciplinæ emolumento peractis, ad S. Seuerini administrationem digressus est.

*Prefuit biennium.*

THEOPHILVS,

ABBAS LXXXV.



Heophilus Mediolanensis, præter communem totius Congregationis præfecturam, quam gerebat, non potuit peculiarem etiam Casinatis Sodalitij Magistratum, non admittere. Hunc Leo Papa

Papa æque, ac Superiores Abbates insigni benevolentia complexus; priuilegium eius efflagitatu Monasterio concessit, quo ijs, qui decumas Casinatibus pendere tenebatur, vel recusantibus, vel plus æquo solutionem differentibus, dies ad Vicarium Casinatem dici posset. Illud etiā perbenignè indulxit, ut Cœnobium ipsum Casinas, nullis in posterum soluēdis decumis, nullisue huiusmodi alijs oneribus subeundis, obnoxium esset: Theophili studio Cœnobium nouis ædificijs amplificatum, Ecclesia Sæctæ Mariæ de Insula Trœpeæ, est restituta. Postremò relicta Casinate Abbatia, Patauinæ præficitur.

Ann. 1520.

*Præfuit biennium.*

**I**gnatius iterum Congregationis Præses, iterum Abbas Casinensis. Hac secunda vice, annum cum dimidio Magistratum tenuit.



LVDOVICVS SECUNDVS,

*ABBAS CVI.*



VDOVICVS Mediolanensis, è nobilissima Triuultiorum familia, inter So-  
dales S.Petri Inglassiatæ educatus, Casino præficitur. Is litè aduersus Archiepi-  
scopū Theatinū, de spirituali iurisdictione Oppidi Pharæ, feliciter trāsegit, cau-  
sa per idoneos Iudices, contra Archiepiscopū Casinatibus

adiudicata. Mediolanum ad Sancti Simpliciani gubernationem digreditur.

*Ann. 1522. Præfuit annum Integrum.*



## IVSTINV S,

ABBAS LX XXXX V III.

**I**VSTINUS Hispanus, suscepta Patauij in D. Iustinæ Cœnobio Religione; Casinum breui rexit, sed laudabiliter, ac fructuose.

*Ann. 1523. Sedit annis duobus.*

**I**GNA TIO Florentino totius Congregationis, & Casinatis Cœnobij nominatim supremus Magistratus demandatur. Anno proximè in sequenti honoribus simul, ac vita Florentiæ defunctus est.

*Ann. 1524.*



## CHRISTOMVS,

ABBAS LXXX X V III.

*Ann. 1525.*



CHRISOSTOMVS Neapolitanus nobili familia de Alexādris, Ignatio sublectus. Administrationem suam ab vniuersali totius Casinatis Diœcesis Visitatione auspicatur: qua peracta, Synodum habuit: corrigēdis prauis moribus, quos inter visitandū in Clero repererat, apprimè consentaneam.

Do-

Domus eo Rectore, multis, ac nobilibus ædificijs enituit. Atrium perelegans Basilicæ Casinati præstructum; me-  
dio atrio cisterna in primis capax, & pluriimi vsus effossa;  
ornataq; Campanæ maiores duæ, magna impensa con-  
flatæ. Templum, & musico Organo multiplici, aureisq;  
ornamentis conspiciendo, & tabula, Andreæ Salernitani,  
egregij artificis manu depicta, ad aram maximam nobi-  
litatum. Sacrario, quod Ignatius substruxerat, Chrisosto-  
mi opera, adiecti plutei ab vtroq; latere, quos hodieq; ibi-  
dem conspicimus. Constat etiam eundem sacras vestes  
pretiosas complures, vasa ex argento nō pauca, lituum itē  
argenteum, ac mitram (Abbatis insignia) exquisita, ad-  
mirabilique arte elaboranda curauisse: Decreta itē (quæ  
Cœnobio vñi futura essent) à Clemente septimo Pontifi-  
ce, & Carolo quinto Imperatore retulisse. Iura Monaste-  
rij, oppugnatæ Regio Prætore Sancti Germani, acriter  
ipse defendit, ac propugnauit: eodem etiam animi ro-  
bore, ac constantia Berlengarij Cardonæ militis auda-  
ciam fregit, vindicato in potestatem Oppido Sancti Pe-  
tri de Auellana, quod ille iterum per vim, malasq; artes  
furpauerat. Apud Neapolitanum Proregem gratiosus;  
Iud ab eo retulit beneficij, vt Casinates, Oppidum San-  
cti Eliæ cum ijsdem immunitatibus, ac priuilegijs posside-  
tur, quibus ceteri Dynastæ toto Regno, subiecta sibi loca  
moderabātur. Citrarij calamitosam vicē miseratus (quod  
Turcæ direptū incenderant) eius Oppidanis à Carolo V.  
impertravit omnē cuiusvis tributi, ac vestigalis immunita-  
tē. Adeptū à nescio quo magnate Oppidū Serræ Monace-  
schæ, iterū Cœnobio recuperauit. Germaneliū arrogātes  
conatus, qui à Monachis inita defectione, Romā Episcopū

petituri contenderant, sapientia , & autoritate compescuit, coegitq; saniora in posterum meditari , ac præstare . Exacto apud Casinum sui regiminis spatio, ad Par-

Ann. 1530. mense Cœnobium transmissus est.

*Præfuit quinquennium.*



A V G V S T I N V S,

A B B A S L X X X X I X.



Vgustinus Patauinus de Bonfilijs, ad Casinatis sodalitij regimen, cum virilis animi firmitate , & constantia ( qualem ea tempora requiebant ) accessit . Nunquam passus est toto suæ præfecturæ triennio , de Cœnobij iuribus , spirituallique iurisdictione violari quidquam, vel imminui . Mausoleum Petri Medicei ( qui perhonorifico munere pro Gallis contra Hispanos ardenter , generosèq; dimicans in Garibano flumine extinctus est ) Clemente septimo efflagitante : impensas suppeditante Monasterio , erexit : marmoreis signis , & columnis , taliusque ædificij sumptu , ac magnifica spectabile . Denique Patavium in Patriam, ad San-

ctæ Instinæ com-  
migrat .

*Præfuit triennium.*

**C**hrisostomus Neapolitanus, denuo Casini procurationem quinquennium retinuit.

HIERONYMVS PRIMVS,

ABBAS C.

**H**IERNONYMVS à Monte Rubeo Ligur, sancti Hieronymi de Ceruaria Monachus, electus Casinensis Abbas, breuem habuit Magistratum, Casino Man- Ann. 1539 tuam discessit.

*Prefuit ferè annum.*



IGNATIVS SECUNDVS,

ABBAS C I.



Gnatius Patria Genuensis, Monasticum institutum Patauij ad S. Iustinæ profesus, Casinati Abbatiæ post Hieronymū præficitur. Cœnobia muris vndiq; firmissimis inclusos(ne qua ex parte repentinis hostium insultibus, ac direptioni tam facile, vt antea pateret) breui sui regiminis tempore, haud mediocriter Casinatibus commodauit. Casino Ann. 1541 Patauium digreditur.

*Praesedit biennium.*



HIE.



HIERONYMVS SECUNDVS,  
ABBAS CII.



Ieronymus Placentinus vir egregia probitate, ac prudentia, creditam suæ fidei Casinatem domum, insigni Monasticæ disciplinæ bono, subditorum prosectori, & rei familiaris accessione temperauit. Odeo (qui medium Basilicæ occupabat)

post aram maximam retracto, ingentem fornicem superimposuit, cum marmorea corona, totum Odeum procurrente: tum aræ ipsi magnificentius exultæ, singula Sacella ad utrumq; latus excitauit; sacrario etiam multum contulit splendoris, & opulentiae: strato vermiculatis emblematis pauimento, multiplicique, ac pretiosa suppellectile comparata. Quosdam Samnij populos, in eas redigunt angustias, vt decumarum solutione (quod aliquantiu[m] pertinaciter recusauerant) Monachis Casinatis obsequiu[m], ac subiectionem palam testari cogerentur. Oppidanos etiam Pedemontis, & Villæ, qui à Monasterijs obedientia defecerant, repressit, subegitq; Hieronymo Abbate, Isabella Castriota, Mennenio sum Comes, Sacrum Cœnobium pretiosis muneribus cumulauit.

Ann. 1546.

*Præfuit quinquennium.*



HIERONYMVS TERTIVS,

ABBAS CIII.



Ieronymo Zambello Mantuano, ab Hieronymi discessu Casinatis sodalitij cura demandatur. Hic triclinium, quo Patres in inferiore, ædium parte, deformi, ac peruetusto vtebatur, cū superioris clavistri planicie exæquatum, venustis sediliis adornauit. Re familiari prudenter administrata, redditus annuos opulentiores, quam inuenierat, reliquit: Casino discedens totius Congregationis Præfectura co-honestatur.

Ann. 1542.

*Præfuit triennium.*

**H**ieronymus Placentinus iterum Casinensis Abbas, biennali administratione perfunctus, Placentiam discessit, D. Sixti Cœnobium, totamq; adeo Congregationem moderaturus.

Ann. 1554.



INNOCENTIVS,

ABBAS CIV.

**I**nnocentius Nouariensis Sæctæ Marie apud Florentiam alumnus (quem ferunt multarum artium insigni peritia excelluisse) ad Casinatis Abbatiae moderationem transmissus est. Strenue operam dedit, effecitque, ut ius, atq; officium ciuiles causas, tum cognoscendi, tum diju-

## ELOGIA ABBATVM

dijudicand: (quod per eos Abbates, quibus Monasterium commendatum fuerat, Germanensi, nescio cui concessum fuerat) Monachis denuò restitueretur.

Ann. 1554.

*Prefuit annostres.*

## HIERONYMVS TERTIVS,

ABBAS CV.

**H**ieronymus Papiensis è prænobili Calciniorum, Ann. 1555 familia, sancti Saluatoris Papiæ sodalis, Casinum non amplius solidō anno administravit.

*Prefuit annum.*

## ISIDORVS PRIMVS,

ABBAS CVI.



Sidorus Placentinus è Cœnobio Sancti Sixti, Præsul Casinas renunciatus, acer- rimū se præbuit iurium Monasterij propugnatorem, ac vindicem. Ingentia quædam prædia in Lucanis, quibus iam dudum Monachi carebant, iterum in potestatem redigit.

Ann. 1556

*Prefedit ne anno quidem integro.*

Supposito abbatib[us] in anno suorum 1556 ad  
easdem diocesem regredi, et in Casinum utrillo p[ro]p[ri]o sibi

IGNA-

## IGNATIVS SECUNDVS,

ABBAS CVII.



Ximiæ virtutis, ac sapientiæ fama, Ignatium Neapolitanum de Vicanis, præter alias nostri Ordinis Præfecturas, ad Casinatem Magistratum euexit. Neapolitanum Proregem, aliosque Principes viros, egregijs animi dotibus facile sibi deuinxit: quorum studio, & gratia nixus, plurimum Cœnobij rebus commodavit, eo præsertim tempore, cum Germanensium aliquot compescenda fuit audacia, spiritusque retundendi, ob initam contrâ Casinates Monachos defectionem. Ex illis Archipresbyterum obstinate in contumacia persistentem, exauctorauit. Aduersus Neapolitanum Fiscum lite agitata, iuris Portulaniæ, & Siclæ, per totam Abbatiam, confirmationem est consequitus. Verum enim uero Ignatius, quæ ad Diuini cultus amplificationem, suorumque pietatem incendendā conducere arbitrabatur, sedulò procurans, Aedem subterraneam egregiâ formâ, nobilibusque ornamentis extruxit. Quo in loco Monachi, sacris carminibus Deo psallunt, dispositæ sedes, eleganti artificio sculptæ, atq; elaboratæ: duo Sacella, vnū Placido nostri Ordinis Prothomartyri gloriissimo: alterum Mauro eximiæ sanctitatis Abbati, ad utrumque latus, dedicata. E regione cho ri, altare statuit: cui arca superimposita, ex metallo fusilis; huic porrò Sanctissimi Patriarchæ Benedicti signum

ex ære deauratum : opus magnæ impensæ, miræque artis, ac venustatis. Cum tempus incidisset, quo Proregis iussu, aurea vasa, atque argentea, omnium toto Regno sacrarum Aedium, Neapolim comportabatur: vni Igna-  
tio concessum fuit, vt Casinatis Basilicæ supellex, ne quid subiret detrimenti, neuè suo loco moueretur. Sed nihil æque ardenter, ac strenuè curauit Ignatius, quam ut sodales suscepit disciplinæ, votiuæq; perfectionis mu-  
nia, quam diligentissimè obirent: nihil illi tam iucun-  
dum accidit, quam Monachorum diligentiam, & cona-  
tus (quod optabat in primis) in virtute comparanda,  
quam intentissimos intueri. Demum ad Sancti Seueri-  
ni pro curationem capeſſendam, Neapolim euocatur.

Ann. 1561.

*Præfuit annos quinque.*

## ANGELVS,

## ABBAS CVIII.



Angeli San-  
grini præcla-  
ra ingenii,  
ac morū or-  
namenta.

Ngelus ab Oppido Sangri, familia de Faggis, adolescens adhuc, D. Benedicti institutum Casini complexus, tali Ordi-  
ne, ac loco dignissimum se præbuit. Ar-  
denti virtutis studio, exacta disciplinæ  
custodia, & ingenuo quodam morū cā-  
dore, priscam maiorum nostrorum sanctitatem strenuè  
æmulabatur, ac feliciter referebat. Ceterū ingenio per-  
spicaci, & ad artes ingenuas maximè accōmodato, cùm  
grauioribus disciplinis egregiè imbutus est: tū verò huma-  
niora studia, & politiorem literaturā egregiè percalluit.

Poe.

Poetica facultate usque adeò pollebat, ut quidquid libuisset, facile, atque ubertim penè extemporaneo carmine enūciaret. Terūtus manib[us] eius versus, Coloniæ Agripinæ impressi, in quibus prædiuitem illā venā, & pangēdi carminis admirabiles à natura impetus apertissimè vbiq[ue] dignoscas. Plura etiā ad sacras meditationes argumenta; Latino idiomate euulgauit; quæ religiosam eius mentem, & cælesti flamma incensum pectus, facile ostenderint. Ad ingenium porrò, cū agendi quoque solertia, & dexteritas accederet: Præsidum iussu, Ordinis Præfecturas obire coactus est. Igitur ex Abbe Sancti Seuerini Neapolis, Casinensiū Antistes creatus, nihil prius habuit, ac potius; quām vt ad Numinis venerationem, & cultum, simulque communis instituti disciplinam, quæ spectabant, in uiolabili obseruantia custudirentur à subditis; solitus religiosæ vitæ documentis, & paterni amoris aperta significatione, subditos quocūq[ue]; vellet, facili negotio conuertere: crebris ad Deum precibus lumen, ac vires, ad rectam administrationem enixè efflagitare: cum interim de peruigili solicitudine, atque indefessa cura, remitteret nihil. Aedificijs, per alios Abates inchoatis, ultimam ipse imposuit manum. Deinde nouas substructiones aggressus, Cœnobium tam multis partibus amplificauit, vt illud verius nouū condidisse dici possit, quā vel laxius reddidisse, vel ornatius. Dormitorio, & aliæ adiectæ cellulæ, & quā orientem Solem admittit, firmissimus murus obiectus. Pro lateritio tecto deformi, ac præ vetustate semiruto, substituta cōtignatio est, varietate operis, & artificij elegātia, spectabilis. Relique omnes officinæ, deturbatis veteribus, receter cōstructæ.

Multa scripsit metro, & soluta oratione typis euulga.

Eius administra.

Aedificia ab eo instructa, ac perfectæ.

Atque hæc quidem in infima Cœnobij parte : in media verò Claustrī dormitorio adiacentis structura, longè melior, ac venustior restituta. Porrò Templi Sacellæ, quæ Peristylio adhærent, Xystus, Biblioteca, Triclinium, Aula pergrandis, vbi per hyemem Patres ad ignem considerent, reliquis ædificijs adiuncta sunt. Cœnobij verò iura, & immunitates, Ecclesiæq; libertatem constanti, in-

Monasterij defessoque robore tutatus est. Merum, ac mistum im-  
jura, & iuris-  
ditionē acer-  
perium in Oppido Serræ Monaceschæ, numerata pe-  
rimè curatur,  
cunia comparauit : spiritualem iurisdictionem in Luco,  
ac retinet.

& Pesculo Constantij, repugnantibus Marsicorum, &  
Sulmonæ Episcopis, retinuit : itemq; ius tabellionatus ci-  
uialis per omnem Casinatem Abbatiā, à Marcello Pigno-  
ne Marchione usurpatum, recuperauit. Ad amplifica-  
tionem Diuini cultus, Præpositura S Mariæ de Luco, pe-  
culiari Abbatij, & quinq; Canonicis assignata. Inter Mona-  
chos, & Germanenses (qui denuò rebellauerant) validior  
in posterum firmata pax. Trina administratione Cas-  
num rexit annis vndecim. Alia item primæ notæ Mo-  
nasteria plures annos, totamq; adeo Congregationem,  
Præsidis generalis honore, atque officio temperauit: eo-  
dem semper prudentiæ, & sanctitatis tenore, ac fama:  
communi bono, & priuato cuiusque profectui inten-

Hac vice suā  
administra-  
tionē absolu-  
uit.  
Ann. 1564.

Cap. 64. flu-  
deat Abbas  
magis amari,  
quam timeri.  
læ præscripto, amari magis, quam timeri; summā om-  
nium venerationem simul, ac benevolentiam adeptus  
est. Vulgo priscæ virtutis, & sanctimonie specimen, &  
germanus Casinatis sodalitij alumnus prædicabatur.  
Quin imò viget etiam num Angeli nomen recenti me-

mo.

moria perinde; ac nouissimè demortui; estque præcipuo  
in honore, & cultu apud omnes: tum propter vitæ totius  
periodū religiosissimè traductam, & egregia in nostram  
Remplicam promerita; tum quia non desunt, qui refe-  
rant, eius cadeuer anno octauo, postquam terræ manda-  
tum fuerat, integrum, illæsumque, se vidisse in sepulchro.  
Aetate iam prouectior, sponte in ordinem se redigit, quo  
exactius cælesti gloriæ, atque æternitati se contraparet:  
ad quam cum discessisset, annos natus tres, ac nonagin-  
ta, Casini quietem, ac sepulchrum est nactus.

Eius cadauer  
octo annis à  
funere incor-  
ruptum.

*Prefuit hac vice quinquennium.*

**I**gnatius Neapolitanus secundo electus, annum dun-  
taxat administravit.

Ann. 1565.

**A**ngelus Sangrinus Ignatio succedens iterum admi-  
nistrat.

*Prefuit annis tribus.*

Ann. 1568.

BERNARDVS QVARTVS,

*ABBAS CIX.*



Bernardus Auersanus, è familia de Ad-  
amo, præter insignem vitæ, ac morum  
innocentiam, Diuinis literis apprimè  
expolitus, ab Angeli discessu, Casinum  
administrat. Eius cura, & sollicitudine  
Territorium, quod Iunctura dicitur, re-  
liquis Monasterij possessionibus adiunctum est. Pij quin-  
ti

ti optimi Pontificis iussu (cui haud vulgaris prudentiae, ac probitatis nomine, commendatus erat in paucis) Collegium Virginum S. Ioannis apud Capuam solutius, aetioris disciplinæ obseruantia cōmunitum; ad meliorem frugem reuocauit.

Ann. 1568.

*Præsedit triennium.*

## M A T T H I A S,

A B B A S . C X .



Atthiæ de Lignasco, Cœnobij Mantuani conuictori, egregiè pio, ac solerti, Casinas Magistratus primum; deinde totius Cōgregationis procuratio, triennio post demandatur; vtroque in munere magnam religionis, iudicij, atq; industriae

Ann. 1571.

laudem est assequutus. Casino Mantuam demigravit.

*Præfuit annis tribus.*

Ann. 1574.

**A**ngelus Sangrinus tertio sublectus, tandiù præfuit, quandiu Matthias.

## HIERONYMVS QVARTVS,

A B B A S . C X I .

**H**ieronymum de Cosentia ex nobili Sersalium genere, hominem impigrum, & Monastici instituti perstudiosum cultorem, Patres Casinatibus Præfectum designarunt. Hic tota Diœcesi diligenter per-

perlustrata, Synodus habuit apprimè utilem, remouendis prauis erroribus (qui Cleri mores, ac disciplinam infecerat) & melioribus institutis, quæ ipse met prescripsit, in usum, & praxim inducendis. Casino Parmam dicens, in Cœnobio D. Ioannis Evangelistæ, non ita multò post excessit è viuis.

Ann. 1577.

*Sedit biennium.*

BERNARDVS QVINTVS,

ABBAS CXII.



Bernardum Neapolitanum, è Sancti Seuerini sodalibus, Casinates Rectorem admissere. Is superiorum Abbatū præstantissimos æmulatus, egregiè sui munieris partes est exequutus. Quo spiritualis iurisdictio magna ex parte iam collapsa erigeretur, fieretque in posterum stabilior, primus omnium instituit, vt Vicarius generalis è Monachorum Collegio deligeretur. Regio Capitaneo (vt vocat) ius criminale sibi usurpant, solemnibus nundinis apud Sanctum Germanum, adeò restituit: vt lite Neapoli agitata, sententiam à iudicibus pro Cœnobio retulerit. Clericos Oppidi Pedemontis Manachorum iniussu Meldina excitare aggressos, romano decreto munitus, ab incepto deterruit. Author etiam Patribus fuit, vt æquo animo paterentur, D. Francisci Fratres (quos Capucinos vocitamus) Cœnobium sibi, & Aedem sacram, ad ex-

tre-

tremum montem construere. Duobus Molendinis apud S. Germanum ædificatis, Ciuium simul commoditati, & Cœnobij rationibus prospexit. Ingentem cisternam in inferiori claustro, quam Angelus Sagrinus anteā inchoarat, perfecit ipse, & absolvit. Demum ad alterius Mona-

Ann. 1580. sterij administrationem, Casino digreditur.

*Præfuit triennium.*



## DESIDERIUS SECUNDVS,

*ABBAS CXII.*



In Reg. S.P.  
Bened. cap.  
36. Infirmit-  
rū cura an-  
te omnia, &  
super omnia  
adhibenda  
est.

Desiderius Brixiensis, Casinates (inter quos religiosam professionem emiserat) regendos suscepit. Is affecta valetudine, vel senio laborantibus Monachis, ex gratissima nostrorum legum sanctione culturus, opportunam domum ad Sanctæ Mariæ de Albaneta: Molendinum in territorio Sancti Eliæ, magno incolarum usu, & commodo extruendum curauit. Porro autem, ut confluentes vndiq; ad religiosissimum Cœnobium cuiusvis status, atque ordinis quotidiè hospites, commodius exciperentur, placuit ædiū partem; cum suo triclinio, à Monachorum habitatione se inctam, exædificari. Bibliothecam simul, & exedram, multò quam anteā reddidit ornatores. Turrem excitauit à fundamentis. Templi, ac sacrarij supellectilem pretiosam sanè, copiosamque mercatus est. Quoniam vero Aquini Antistes contra ius, ac priscum morem, id sibi ar-

rogauerat, ut Clericis Casinatis Diœcesis dimissorias literas (quas appellant) conferret: Desiderius pro tuenda Cœnobij iurisdictione, rem in Romana Curia urgere non destitit: donec Gregorij tertij decimi diplomate (quod etiam Sixtus quintus firmum, ac ratum voluit) Episcopus Aquinas prohibitus est, eiusmodi literarum collationem, quæ antiquo iure ad Casinates spectabat, in posterum sibi quoquis excogitato prætextu, vindicare. Ad aliud postea Cœnobium commigrat.

Ann. 1585

*Praefuit quinquennium.*

**B**ernardus Neapolitanus secundò Abbas præfuit biennium.

Ann. 1587.

**E G I D I V S,****ABBAS. CIXL V.**

Egidius à Mathelica, Monachus Sancti Angeli de Monte Cauoso, Bernardi successor, Casinatem Præfecturam tenuit. In perficiendis Monasterij ædificijs, quæ inchoata iam ab alijs, atq; imperfecta inuenerat, strenuum se, ac diligentem præstítit. Quo tempore sacrum sodalitium curabat, ad vniuersale totius Congregationis regimen euentus est. Ad extrémum Casino digrediens, Sancti Angeli Cœnobio præficitur.

Ann. 1589.

*Praefuit biennium.*

A N D R E A S,

A B B A S C X V .



Ndreas Suessanuſ Monachus Casinas, Aegidio in Abbatem sublectus , à Sixto quinto omnium priuilegiorum confirmatione donatur , quæ ad spiritualem iurisdictionem in tota Casinate Diœcesi spe&tabant, cui ad huc Aquini Episcopus inhiare non verebatur. Paratis iam quæ ad perficiendā ædificationem, instaurandumque Cœnobium, opus erāt, dum ad Comitia generalia proficisciatur, morbo in itinere correptus, Mutinæ extremum obiit diem: cum non amplius anno integro apud Casinum præfuisset . Vsus est perpetuò valetudine imbecilli, atque infirma : sed ingenio peracri , ac viuido , rerumque vſu , ac peritia insigni præditus, quantam concitauerat sui expectationem viuens, tantundem reliquit mœſtitia , ac doloris ab obitu .

*Præfuit annum.*



HIERONYMVS QVINTVS,  
A B B A S C X V I .

**H**ieronymus Perusinus , ad Casinatis Cœnobij gubernacula transmittitur , proximè ab Andreæ excessu . Religiosæ disciplinæ seruantissimus , religiosissimam Domum , integro quinquennio , ita moderata-

deratus est : ut eius summam probitatem , accurata legū custodia, moresq; sodalium ad virtutem compositi: prudentiam singularem , res familiaris non parum auēta , ædificiorum numerus , ac magnificantia , abundē comprebauerint . Cœnobio ( quām longē , latēque patet ) ingentem muri ambitum circundedit : quo eodem ambitu , Montis etiam partem inclusit: prudenti admodum ; ac salutari consilio , latrocinia , & repentinis prædonum incursus , à Sacro Monasterio excludendi : nimis alioquin obuio , patentiq; impiorum flagitijs , & grassatorum ( maximè per noctem ) improbitati , ac direptionibus Peristylum maius ( Casinates Paradisum vocant ) & Cisternam ad fores Monasterij : plura etiam cubicula , tūm hospitibus admittendis: tūm curandæ infirmorū valetudini , aliasque officinas , magno sumptū extruxit . Ad hæc , viarum asperitas , quibus a Monasterio ad Sanctum Germanū , & Plumbariolam iter est , vel sublata omnino , vel notabilem in modum complanata . Curarum etiam , & impensæ magna pars , ad Basilicæ cultum deriuata . Hinc duo ingentia candelabrorum paria , cum pluribus vasis , ex argento , ad aræ maximæ usum , ornatumque destinata : mitra insuper , opere , ac pretio nobilis: sericæ vestes magno numero ; sacram supellectilem adauxere . Seminariū ad iuuētutem clericali disciplina imbuēdā; ex Tridētini Concilij præscripto , apud S. Germanū instituit . Ius Appellationis , in Oppido Citrarij , cōtra Regiū Fiscū adeptus est . Iteratis sētētijs per Neapolitanos judices pronūciatis , Germanēsiū proteruiā edomuit . Ad ultimum de Casinati sodalitio insigniter promeritus , ad aliud augendū , ornādūq; , de suorū Præsidū volūtate , ac nutu discessit .

Ann. 1595. Per hæc tempora floruit inter Casinates, Gregorius Say-  
 Gregorius rus, natione Anglus; non modo religiosissima sacri institu-  
 Sayrus Cas-  
 natis Colle-  
 gij alumnus.  
 etiam optimarum artium studijs: præsertim Sacrorum  
 Canonum. & moralis Theologiæ (ut vocant) excellenti  
 cognitione, ac peritia insignis. Verum datis in lucem  
 præclarissimis voluminibus, multò ipse notior est, ac ce-  
 lebrior, quam ut mearum laudum testimonio, ac præ-  
 dicatione indigeat.

*Præfuit quinquennium.*



## BASILIVS SECUNDVS, A B B A S C X V I I .



Ann. 1597. **B**afilius Brixiensis, Parmæ in Sancti Ioannis Euangelistæ Cœnobio educatus, inito Casinate Magistratu, præsedit annum, ac menses quatuor. Basilicam Sancti Liberatoris de Maiella, prius à se ipso concameratam, quibus in præsen-  
 tem diem nitet ornamentis, decoravit. Apud Casinum  
 naturæ concessit.

*Præfuit annum, eorum menses quatuor.*





## VICTORINVS,

## ABBAS CXVII.



Ictorinus Mansus Auersanus, in Cauēsi Sanctissimæ Trinitatis sodalitio Religioni adscriptus, ad Casinatis Monasterij regimen electus est. Seminarium in S. Germano absoluit, quod Hieronymus à se inceptū temporis breuitate, ad culmen perducere nequuerat. Caut diligentissimè, ne iura Monasterij (se quidem Moderatore, ac Præfecto) vlla omnino ratione violarentur à quoquam. Sed insigni Casinatum incommodo, & iactura euenit, ut Victorinus vix dum apud ipsos annum, ac menses quatuor moratus, Neapolim ad Sancti Seuerini destinaretur à Patribus: nec enim dubium erat, si longiorem moram, eodē in loco traxisset, quin pro sua prudentia, multa fuisset, ad eius splendorem, rationesque insigniter amplificandas perfecturus. Demum rectis per multos annos integrè, ac sapienter nobilioribus Cœnobijs, administratisq; præcipuis suæ Congregationis muneribus, à Clemente octauo (acerrimi iudicij, ac prudentiæ Papa) Episcopus Stabiensis creatus est. Ferunt Pontificem (quo præsente, Victorinus examen ad Episcopatum subiit) prudentibus viri responsis, & reconditiore doctrina, vsque adeò captum fuisse, ut eo impensius collaudato, asseruerit, Cathedræ quidem à se, satis consultum esse, Antistiti vero, non item. Hinc facile fuit eidem Clementi, aliquot post annos

Ann. 1598.

Creatur Episcopus Stabiensis à Clemente VIII. Honorificū Pontificis de ipso testimonium.  
Ab eodem Clemente ad Arianensem Cathedram transfertur.

Inter Assis-  
tores Episco-  
pos à aulo  
V. adscribi-  
tur.

Scripsit, edi-  
ditque ali-  
quot præcla-  
ra volumi-  
na.

anos, pinguiorem Episcopatum (Arianensem scilicet) eidem Victorino conferre. At Paulus quintus, nihilò minoris iudicij, ac sapientiae Pontifex, perspectis Victorini dotibus, multiplici præsertim literatura, moribusq; religiosissimis, eum inter Assistentes Episcopos, honorificè cooptauit. Vixit in Episcopatu annos quatuordecim, summa cum laude integritatis, ac prudentiae, & eorum quibus præerat, magna cum utilitate, & cōmodo. Sunt in manibus, quæ scripsit, literatorum iudicio, & confessione, plena doctrinæ, plena eruditionis, & ingenij volumina. Sepultus est Neapoli, in Sancto Seuerino ad ingressum chori.

*Præfuit annum, ac menses quatuor.*



### ZACHARIAS SECUNDVS,

### ABBAS CXIX.



Acharias Mutinensis, eadem in Urbe, apud Sanctum Petrum Monachus, vacantem, Victorini discessu, Casinatem Præfecturam admisit. Communis disciplinæ studiosissimus propugnator, & minima quæq; errata in sacras leges, & firmatas usu, temporisque diuturnitate consuetudines, aduertere solitus in subditis, ac punire; cū diceret, maiora, grauioraq; euitare cupienti, à paruis etiam, ac leuioribus culpis accuratè declinandum. Præses Congregationis, & Cœnobij Parmensis electus Abbas, Casino digreditur,

*Præfuit annum duntaxat.*

Ann. 1592.

AM-

## AMBROSIUS,

ABBAS CXX.



Mbrosius à Puppio, Cœnobij Sanctarū Floræ, ac Lucillæ apud Aretium alumnus, Zachariæ succedens in munere, officij sui partes summa cū laude est exequutus per tres annos cū dimidio. Germanenses ad genium reuersos ( hoc est abiecta Monachorum reverentia, atque obsequio, tumulantes ) superiorum more Abbatum, constanter represit. Ad Sacrarij. ac Basilicæ ornamenta, alia insuper addidit specie, ac pretio eximia. Post peractam suæ Dicecisis visitationem, celebrandæ synodo diligentem operam nauauit; qua perfecta, ad Sancti Seuerini electus Abbas, Neapolim demigrat.

Ann. 1604.

Præfuit triennium, &amp; sexmenses.



## DESIDERIVS TERTIVS,

ABBAS CXXI.

**D**esiderius à Monte Regali, Casinates ( inter quos religiosum spiritum combiberat ) regēdos suscepit; perdurauit in sacri sodalitij rectione biennium; quo tempore ab Ambrosij constantia non reccdens, elatos Germanensium spiritus, & ad

& ad rebellionem inclinantes, mature depresso. Postremo Venetas profectus est, Sancti Nicolai de Litore Abbatiam moderaturus.

Ann. 1604.

*Præfedit Biennium.*

GREGORIUS,

Abb. CXXII.

**G**regorius à Castro Aretino, Cœnobij Aretini sodalis, Casinum tres annos, ac menses septem temperavit. Totius Congregationis Præses, excessit, &

Ann. 1608.

viuis.

*Præfuit Triennium, ac menses septem.*

P A V L V S,

Abb. CXXIII.

**A**ulus à Cosentia, Monachum apud Casinates professus, summa pietate, religione, instituti studio, atque observationia excelluit. Hic ad Casinatis Abbatiae regimen inuito animo prouectus, cum præfuissest annum vixduum integrum, parendi, quam imperandi cupidior, curasque, ac pericula Rectorum exhorrescens, ad priuatæ vitæ quietem, ac portum, sua se sponte subduxit. Quam animi deliberationem, nō nisi

Casinatis  
Præ  
fectura  
Mag  
istratu se  
abdicauit.



nisi ab egregia, stabilique virtute deriuari potuisse, horū omnes, qui vim, atq; illecebram imperandi norunt; præsertim in ampla domo, totiusq; sodalitatis lōgē honestissima, & (quod magis mirere) dum vires, atq; ætas vigeret, & apud suos Magistratu fungeretur, charus omnibus maximè & acceptus. Verum singularis animi moderatio, & æquitas, sub abdicatam Præfecturam, omnium confessione, clarissimè eluxit in Paulo: Siquidem varijs morborū generibus, ijsdemq; acutissimis penè eodem tempore corruptus, nunquam tamen vel acerbitate ægritudinis, vel diuturnitate fractus, deduci se passus est ab religiosi pectoris pristinā moderatione, ad costantia. Itaq; suo affixus lectulo, inter grauissimos cruciatus (præsertim podagræ, & chiragræ, & squamarum in oculis) adeuntes ad se solabatur ipse, & exhilarabat, tranquilla mente, placido vultu, mitissimis verbis, & morborum patientia admirabilis: quo ad tandem multis annis, ad maiorem sui probationem, & meritorum incrementa, simulq; ad acuendā conuictorum virtutem, tantæ virtutis exemplo, traductis, ad præmium, & coronam (vt spes est) euolauit in cælū.

*Præfuit annum.*

Ann. 1609.

Varijs morbis tentatus, religionis moderationis exempla ad obitū usque exhibuit.

### HONORATUS,

### ABBAS CXXIV.

 Onoratus Panormitanus, in Sancti Martini Cœnobio attensus in Monachum, Vir antiquæ probitatis, & communium toti Ordini consuetudinum, apprime tenax, Monasterium Casinas laudatissimum, apprime tenax, Monasterium Casinas laudatissimum,

Aa

mē

mē administravit. Diocesim ex iniuncto sibi munere perlustravit. inde generalis Congregationis Antistes renunciatus; Gaietam ad eius Cœnobij régimen discessit.

Ann. 1614.

*Præfuit quinquennium.* Ignatius socius & successor eius in officio abbatæ. In primis annis suis in Cœnobiis deputatus, et in aliis in scriptorib[us] et in officiis ecclesiasticis. **ISIDORVS SECUNDVS,** anno 1610 electus abbas. **ABBAS CXIV.**



Sidorus Parmensis in nostrum Ordinē apud suos, dato à pueritia nomine, Casinensis Abba sublectus est; Vitæ innocentia, & morum candore Honorable simillimus: Monachos, & rem familiarem, optima administrandi ratione temperauit. Reditus auxit, imminuto ære alieno, quo Cœnobiū premebatur. Excitatis ad Aræ maximæ latéra fornicibus, Templi ornatum multo reddidit elegantiorem. Absoluta in rem Cœnobij lite, quæ cum Communi Sancti Petri de Auellana per annos duodecim agitata fuerat, Monachos magna perturbatione, ac molestia liberauit. Tandem exacto apud Casinum laudabiliter sui regiminis triennio, ad alterius Cœnobij procurationem

Ann. 1617.

*translatus est.**Præfuit triennium.*

P AV.

PAVLVS SECUNDVS,

ABBAS CXXVI.



Aulus clarissima Scottorū Familia Par-  
mæ ortus, in D. Ioannis Euangelistæ  
cucullum induit. Perspicacis iudicij vir,  
acrioris ingenij præstantia, insignem  
rērum vsum, & multiplicem nobilium  
disciplinarū peritinā, adeptus est. Casina-  
té Præfecturam (qua in Mantuano Patrū Conuentu, co-  
honestatus fuerat) magna cum laude quadriennium re-  
xit. Eo moderatore, cum domesticæ vtilitati, & com-  
modis, diligenter prospectum est: tūm verò literarum  
studia, si vnquam aliās, in Casinati Lyceo, assidua con-  
tentione, & ingenti Academicorum progressu, exulta.  
Citrariensis Caltri Oppidanos tumultuantes, strenuè re-  
pressit, coactos debita Casinatibus obsequia, prò vetere  
ipsorum obligatione, atq; instituto, exhibere. Primo sui  
Magistratus anno, Criminalis Fori Germanensis iuris-  
dictionem, magnis superatis difficultatibus, à Petro Du-  
ce Ossunno, Neapolitano Prorege mercatus est; vigin-  
tiquinque millium aureorum præsenti pecunia. Quare  
spes erat, ab obitu Principis Asculani, Monasteriū per om-  
nīmodam emptæ Iurisdictionis possessionem (præter  
cetera emolumenta) optatissima etiam pace tandem ali-  
quando fruiturū; sublatis nimirū dissidijs, & infini-  
ta litiū serie intercisā, quæ quotidie suboriētes, perpetuū  
irrequietis, ac molestiarum fomitem suggerebant. Pau-  
lus igitur reliquo sui regiminis tempore, partā Criminalis.

Fori iurisdictionem , causarum ( quas secundas appellant ) cum pace retinuit : nemine ex regijs ministris, aditam ab eo possessionem , interturbante . Postremò è Casinate Magistratu, Romam ad Sancti Pauli , honorifice gradum fecit .

Ann. 1621.

*Præsedit annos quatuor.*

## A B B A S C X X V I I .

## B E R N A R D I N V . S ,



Ernardinus Tranensis , è Saauedrorum genere, apud Hispanos prænobili, Religiosum Ordinem in Casinati Monte cōplexus , cælestis disciplinæ exercitationi, Sacræ Theologiæ studia feliciter adiunxit . Amplissimæ Domus suscep- ta gubernatione , nihilò breuius perturbationis , ac molestiarum tempus , quàm regiminis , ac Præfecturæ spa- tium sortitus est ( Germanensium plerisque , pertinaci defectione , à sacro Cœnobio auersis , & noua quotidie , ac perniciosa in Abbatem , ac Monachos excogitare , ac moliri pergentibus ) Sed hæc tamen dissidia , & machinationes , quantum Bernardino tranquillitatis , & otij ademerunt : tantundem opportunitatis ad augendam, il- lustrandamq; virtutem attulere . Siquidem Abbas con- stantis animi robur, præsentibus malis viriliter opponēs , nunquam passus est, de suo gradu deturbari se , ac deiisci . Magna curarum parte ad Sacræ Ædis cultum, atque ele- gan.

gantiam traducta , gradus perfecit , quibus ad Sanctuarium magnifico ascensu peruenitur , ex alabastrite ad Montis radices effosso . Templi hemispherium ( cupulam nuncupamus ) Aræ maximæ supereminens , multò antè ab alijs inceptum , à se perfectum , & absolutum , plumbeis laminis extrinsecus communijt, intus gypso, ab egregijs Plastis inducto , magna ex parte adornauit . Postremò cum videret ingentem quotannis Cœnobio utilitatem prouenturam , si agrorum fructus , & materia è cæduis syluis ( quibus Casinates abundant ) in naues imposita , per Lyrim fluuium conuehi potuissent in mare : nihil nō tetrauit , ut Lyris denuò nauigationi peruius redde- retur ; sed laudabili potius , & magnanimo conatu , quām utili opera desudauit : nec enim ingentes saxorum moles , quibus olim Bertharius Abbas in flumen deuolutis , ingressum in Campaniam Saracenis obstruere curauerat , remoueri vlla industria , laboreuè potuerunt .

Denique inter obeundum Visitationis munus ,  
 ( quod illi proximis superioribus Comitijs iniunctū fuerat ) Andriæ obiit ,  
 in Cœnobio Sanctissimæ Vir-  
 ginis Mariæ tu-  
 mulatus .

Ann. 1624.

*Praesedit triennium , ac sex menses .*



SIM-

## SIMPLICIVS SECUNDVS,

ABBAS CXXVIII.



Greg. Sayro  
Præceptore  
vſus est.

Mature Phi-  
losophiam, ac  
Theologiam  
docet.

Implicitius Caffarellus, ex illustri, & anti-  
qua Romæ Familia, in Lucanis ortus,  
(quò ex eadem gente, Antonium olim,  
Eugenio quarto Pontifice, demigrasse  
compertū est) à puero Monachus Ca-  
finas in studio literarū, præsertim Gre-  
gorio Sayro, præcellenti doctrina, & magni nominis  
Præceptore vſus; insigniter profecit. Hinc artium co-  
gnitione, ac peritia, quām ætate prouectior, in nobis  
lioribus nostræ sodalitatis Academijs, ad Philosophiæ ſi-  
mul, & Theologiæ studia Magister adhiberi est cœptus.  
Qua in exercitatione diù, ac laudabiliter versato; religio-  
ſæ Præfecturæ, honoresq; demandantur. Iamque cele-  
bre sodalitum Sæcti Seuerini Neapolis temperabat, cum  
in nostris apud Aretium prouincialibus Comitijs, iube-  
tur ad Casinatis domus gubernationem fe transferre.  
Germanenses (qui de Simplicij virtute, ac prudentia iam  
diù magna ſibi persuaderant, & tunc præfertim pollice-  
bantur) hoc nuncio mirabiliter excitati, extraordinarijs  
honoribus, & communis lætitiae argumentis, ipsum ſu-  
Pontificia in-  
veſte, equo  
vectus Vrbē  
ingreditur.  
scipere decreuerunt. Itaque cum frequenti Monacho-  
rū, & Cleri totius comitatu, ad Oppidi ingressum obuiā  
effusi: antequam Vrbem iniret, manulum admouent,  
explicantque ſupra verticem ſerieam umbellam, quam

inau-

inauratis hastilibus sustentatam, Primores ciuum, ad sacram usque Aedem maximam detulere. Hanc à populo Germanensi, sacroque cœtu concordem tamoris, & obseruantiae significationem, Abbas idcirco non reiecit, quod momenti non parum, ad ingenerandam in eorum animis (a quibus sponte proueniebat) maiorem erga Sacri Cœnobij, & ipsorum Antistitem, reverentiam, & obsequium habituras videretur: Qnod si evenisset (vt postea Dei ope, ac beneficio evenit) futurum erat, ut ab litibus, ac dissidijs expedita Præsułis gubernatio, Monasterij rationibus, & Germanensium cōmodis, liberius vacaret, prospiceret cumulatius. Verum ab ipso sui regiminis exordio, egregium dedit religiosi, verèque ingentis animi specimen. Annus erat Iubilei celebritate insignis: peregrinorum quotidie viis maxima Casinum confluerebat: domus ære alieno ad quadraginta septem aureorum millia premebatur: neque tamen ille, vel animum despōdit, vel parum in hospites liberalem se præstite: sed reiecta in Deum spe, ac fiducia erectus, iussit quotquot eò peregrè ventitarent, humaniter admisisse; abundè suppeditari omnia, quæ nostrorum hominum, & Casinatis præcipue domiciliij hospitalis charitas, vetustissimo instituto præscribebat. Quare licuit toto eo anno Casini, dignum hominibus, dignum cælo, ac superis spectaculum intueri. Hospites quotidiè ingenti numero illuc conuenientes, monachi, benignè exceptos, comitabantur in Templum: tūm in conclave deductis abluebant pedes, ponebant mensam, epulis corpus, animum spirituali lectione reficiebant, sternebant lectos, præstoque aderant, qui sacras confessiones exciperent, & poscentibus

A Germanē-  
fibus extra-  
ordinarijs  
honoribus  
excipitur.

Illustris pie-  
tatis, ingen-  
tisq; animi  
specimen  
præbet.

Casinensium  
admirabilis  
hospitalitas  
in fuscipien-  
dis Peregrini-  
nis.

Septuaginta  
Peregrinorū  
millia, Casii  
liberali ho-  
spitioexcep-  
ta Iubil.ann.

tibus cælestis Agni dapes impertirentur: nullum denique obsequij genus omissum ex ijs, quæ in religiosis sodalitatibus benè institutis, ad Christianæ humilitatis, charitatisque exemplum, erga proprij ordinis longè aduenientes socios, exhiberi consueuerūt. Constat verò plures septuaginta peregrinorū millibus, sacro Iubilei anno Casinum inuisentes, humaniter, ac perbenignè habitos, Casinio discessisse. Hanc autem impensam peregrinis liberalitatem, & pia obsequia, cælestis Benignitas copiosissima mercede est prosequuta. Nam & cibaria, quæ ministri, sacratae Deo familiæ, eum in annum prouiderant, peregrinis etiam tam multis superuenientibus sufficerent; nec multum abijt temporis, cum sodalitum Casinas molestissimo æris alieni onere est subleuatum: quippe aurorum summam ad quadraginta semptem millia, debitam magna quidem ex parte à Regia Curia, & saepius à monachis frustra efflagitata: Simplicius (prò sua in negotijs pertractandis dexteritate, & apud Antonium de Tholedo, Ducem Aluæ, ac Neapolis Proregé, auctoritate, ac gratia) recepit; cum admiratione omnium, eò maiore, quod Italia, per id tempus, bellis æstuante: Regiū Aerarium penè exhaustum, conscripto tunc militi, stipendia numerare cogebatur; & Regij ministri ad unum omnes disertis verbis asserebant, Casinati sodalitio (per eos quidem dies) satisfieri non posse. Ceterum Monachi, Paulo Secundo Abate, maiorem prædictæ pecuniae vim, Neapolitanō Proregi attribuerant, Criminalis Fori, apud Sanctum Germanum ius, ac liberam facultatem impetraturi: sed eodem Foro ab Hispaniarum Rege, Asculano Principi iterum adiudicato, neque numeratum

pretium

Cælestis be-  
nignitas, Ab-  
batis, & Mo-  
nach: in Pe-  
rigrinos ho-  
spitalitatem  
copiosissima  
mercede re-  
pendit.

Simpl. ma-  
gnam pecu-  
niae vim à Re-  
gia Curia  
recuperat.

prætium recuperare potuerant Casinates, & pro numerorum sorte, paetam in singulos annos usuram, toto ferè septennio Trapezitis persoluerant; vnde alienum æs ad eam, quam diximus, septem, ac quadraginta milium aureorum summam excreuerat. Germanenses Casinatis conciliauit; iam pridem rebelles: dissidijs, ac litibus, quæ utrosq; ab utrisq; disiunxerant, sublati, ac deletis. Discordes animos inter nobilitatem, ac vulgus Citrarij, magna prudentia composuit. Verum ad Aedificia quod attinet, S. Germani Palatiū amplificauit, ornauitq; cōstructis laxioribus cubiculis, & amoenissimi prospectus, in aduersos montes, circunfusamq; planitiē, & cōmodissimæ deambulationis xylo; sericis peristromatibus, & cetera cōsimili supellestile, egregijsq; picturis, recenti ædiū parte exculta. Casinatem verò Basilicā magnifice prorsus, atq; insigniter illustravit. Sanctuarium tres circiter palmos depresso, ad eam altitudinem, qua olim à Desidero Abbe, cōstructum fuerat. Aram maximam varijs, spectandisq; marmoribus, & pretiosis lapillis miro artificio insertis, conuestiuit: marmoreis cancellis, ad exigiam speciem, Sanctuarium ambientibus. Hemisphærij (Sanctuario, & Aræ maximæ incubantis) ornamentū ex opere marmorato, quod superiores Abbates instituerant, absoluit ipse, auroque ditissimè illustravit: Sanctuarii pavimentum, variij coloris marmore constrauit. Tholum verò, ac tholi utrumque latus, Belisario magni nominis artifici, pingendum locauit. Odeo (quod tribus item palmis, vt Sanctuario æquaretur, depresso voluerat) plasterum opus adiecit: quominus aurum, pietasq; tabulas induceret, temporis breuitate præpeditus.

Nouis ædificijs S. Germ. Palatium amplificat.

Casinæ Templum magnificè et ornat.

Sacrarium a genteis vasis, & ferica vestite dicitur.

Sacro apparatu, quo Sacerdos, ac Leuitæ solemnioribus diebus festis utuntur, qui ad quotidiana sacra priuatum adhiberi solet, multiplici, ac pretioso, reliqua Sacra-

Cadelabro-  
rū inscriptio:  
Sanctiss. Pa-  
triarchæ Be-  
nedito, ex  
pecunia, a  
Rege resti-  
tuta: Simpli-  
cius Abbas,  
qui obtinuit  
quod voul-  
rat, posuit:  
Candelabra, & Crucem æqua proportione, utraque inu-  
sitatæ magnitudinis: vasa item insigni altitudine, ac pô-  
dere visenda: Crucem denique cum oblongo hastili, ad  
sacras supplicationes præferri solitam: omnia solidè ex  
argento, egregièque fabrefacta: Casinatis Monasterij  
Diecœsim bis obiit vniuersam, ac diligenter inuisit, Cle-  
ro vbiique ad meliorem ecclesiasticæ disciplinæ normam  
conformato. Canonicis S. Germani Almutias (ipsorum  
insignia) gestandi facultatem, synodali decreto indulxit.  
Pontificium amictum (cappam magnam appellant) usur-  
pari desitam, longo interuallo invito ipse reuocauit, aucto  
inde apud Cœnobii subditos, Casinatis Præsulis cultu, ac  
reuerentia. Synodus ab se magno plausu celebratam,  
nihilò minore omnium approbatione emisit in lucem.

Quandiu Casinum moderatus est, opima pax Cœnobiu, subiectaq; Cœnobio loca tenuit; ipse singularem erga se  
benevolentiam, cum pari subditorum obseruâlia expertus  
est. Illud prætereà singularis beneficij à Deo promeruit,  
quòd remouendo Altari, & effodiendo Sanctuario inten-  
tus, Diuorum corpora Constantini, & Simplicij Abbatum,  
Carolomani, Guinizzonis, ac Ianuarij Monachorū inue-  
nit: Quo eodē tépore, cælestè Numen seruorū suorū san-  
ctitatē, ac merita, multis, atq; illustribus prodigijs testatā  
voluit: uti luculenter appareat, ex tabulis, in quas dili-  
genter, & ex fide sunt relata. Guinizzonis, ac Ianuarij  
pretiosa pignora, in nouo Sacello pereleganti collocata

Sacra Sanctorū  
Monachorū  
pignora  
reperit.

è re-

è regione Sacelli, clarissimi Martyris Bertharij : medio autem inter utrumque spatio, aliud per eam occasionem miræ venustatis, ac elegantiæ excitatū, vbi Sacrosancta Eucharistia decentissimè afferuatur. Ceterum nostræ Sodalitatis Præfecti, prudentem Simplicij administrationem, maximeque frugiferam experti, sapienter illum, totius Congregationis Generalem Præsidem elegerunt. Neque Romanæ Aulæ, & Neapolitani Regni Primores, hæc eadem Simplicij ornamenta non norunt permulti, minusuè humaniter, atque honorificè amplectuntur. Certè quoties è re Casinatis domus grauiora negotia utробique curauit : satis constat, partim excellenti rerum usu, ac prudentia; partim Magnatum (quibuscum necessariò tractandum fuit) insigni studio, ac fauore adiutum, felici exitu omnia transgisse. Quod euidenter probauerint (ut cetera sileamus) recuperata Neapoli ab Regijs Procuratoribus pecunia: Imperatum Romæ ab Sapientissimis Rotæ Iudicibus Decretum, quo amplissima sententia definiunt, Casinatis Archiuij tabulis, summam fidem ab omnibus ubique locorum habendam esse, quod Archiuum illud, non modo publicum, atq; authenticum sit (ita enim loquuntur) sed tota etiam Europa celeberrimum: Deniq; Urbani Octavi Pontificis Maximi facultas, Casinati Abbatij, spontaneo diplomate concessa, quocunq; in posterum sui Cœnobij Tabulario præfecerit, eundem Prothonotarium Apostolicum, perpetuo tempore renunciandi. Moderatur nunc Simplicius secundò, S. Seuerini Neapolis insigne Cœnobiū, antiquitate, opibus, ædificijs, & religiosæ disciplinæ accuratissimo cultu, inter præcipua nostræ familiæ

Casinæ Archiūm ab Romanæ Rotæ Iudicibus, tota Europa celeberrimum appellatur.

Eidem Archiuo Præfectus Prothonotarij dignitate insignitur.

## ELOGIA ABBATVM

Simpl. totius

Cong. Gene- iure optimo accensendum ; itaque moderatur , vt per-  
ralis Praes , graui totius Congregationis onere ( quod egregie susti-  
celebre S. Se- uer. Neapol. net ) nihil impeditus , augendae Monasterij dignitati , ac  
Cœnobium ma gna cum lau- fortunis feliciter adlaboret . Verum de Simplicio plura  
de admini- attexere , non argumenti inopia : sed ipsius viuentis adhuc  
strat . modestia , pudoreque prohibeor ; eorum etiam partem ,  
quæ haetenus perstrinxi ( quo illi gratum facerem )  
omissurus ; nisi multò mihi diligentius videndum esset ,  
qua ratione , mea hæc Elogia , minimè fucatis virtutum  
coloribus exornem : quam , ne modestissimi Praesulis ve-  
recundiam onerem , ipsius recte factorum commemora-  
tione , præcauendum .

**A**m verò absolutis vtcunque Casinatum Praesu-  
lum Elogijs , Lectorem admonitum volo ( quod  
ipsem inter legendum fortasse animaduerte-  
rit ) in tam longa Abbatum serie ( quæ mille , ac centum ,  
paulò minus annorum decursu , Casini viguit ) post San-  
ctissimum Patriarcham , neminem extitisse , qui Bene-  
dictum nomine referret : Cum tamen fuerint semper ,  
sintq; hodie , in nostris Cœnobij , plurimi inter Monachos :  
inter Abbates verò non pauci hoc nomine : neque priua-  
tis sodalibus ad consequendas Præfecturas , vel Præfe-  
ctis ad Casinatem Magistratum , fraudi vnquam fuerit ,  
Benedicti , vel alterius cuiusvis vocabulo , fuisse insignitos .  
Vetusissimo scilicet nostrę Congregationis instituto , quæ  
suos alumnos ( modo regimini ceteroquin idoneos arbi-  
tretur ) honestiores gradus , & cuiuslibet Cœnobij gu-  
bernacula committit indiscriminatim omnibus : nullius  
religiosa nominis obseruatione , impedita . Quod si , vt  
hæc concurrant omnia ; nemini tamen à primo Parente ,

Nullus post  
SS. Patriar-  
cham , Casina-  
tem Abbatia  
obtinuit , qui  
Benedictus  
vocabetur .

ac Magistro ( qui Benedictus appellaretur) Casinas Magistratus obuenit : id vero planè admirandum est, ac non nisi occulto Diuinæ prouidentiæ consilio adscribendum : quæ hoc etiam honoris, ac reuerentiæ Sanctissimo Patri à filijs exhibitum voluerit , vt nemo hactenus , qui Benedictus diceretur, Benedicti locum , ac Sedē usurpauerit .



## APPENDIX, DE SACRORVM PIGNORVM INVENTIONE.



Dmonet me insignis Sacrarum Reliquiarum inventio, & quæ ipsiusmet inventionis festam gratulationem adauxere , illustria prodigia ; ne silentij tenebris inuoluam , quæ Deus eximio suæ bonitatis munere, nobis eduxit in lucem ; neuè posteris iustè me ipsum accusandi locus relinquantur , qui toties de Maiorum nostrorum taciturnitate , vel scribendi parsimonia in hoc genere; conqueri soleo, ac penè indignabundus expostulare. Ab suscepta igitur Casinate Prefectura, versabat intento animo Simplicius, si qua posset clarissimi monachornm Parentis, aq. Magistri sepulchrum (quod frequentissimo cōcursu omnium vndi Consiliū de ornando SS. Benedic̄ti sepolchro. que gentium quotidie celebratur ) splendidius , ac magnificentius exornare; idque non sua tantū unius religione, ac studio ; sed communī etiā, tūm sodalitij, tūm Congregationis totius Casinensis nomine , atq; existimatione permotus. At quoniam istuc ipsum intelligebat commodè perfici non posse, nisi Templi Sanctuarium ( quo in medio sub Ara maxima D. Benedicti Sacratissimum Corpus requiescit ) in meliorem

## ELOGIA ABBATUM

Quanta adhuc  
bita diligen-  
tia, ut res ē  
voto succe-  
deret.

meliorem formam redigeretur : excogitatum prius est, de ipsomet Sanctuario (reliqua Templi parte non diminuta) in laxioris areæ spatiū protrahendo ; id enim videbatur non solum ad rem proposi- tam necessariò requiri ; sed etiam ad venustriorem aspectum Basilicam introeuntibus, & ad sacras functiones (solemniores præsertim) pro dignitate commodius obeundas, mirabiliter conferre. Accensu hanc in rem non ignobiles Architecti: locus perattente inspectus, ac dimen- sus : plures descriptæ formæ : postremè pronunciatum, rem planè ar- duam, felicis exitus spe tentari non posse. Cum Abbas, ne ita quidem acquiesceret ; anno in sequenti Equitem Cosmam Fansagum Bergomatem, Architectonices peritissimum, Neapoli denuò Casinum euocat. Monet, quantum sibi curæ sit Sanctuarij amplificatio, quā- tum ipsius arti confidat, quantum de sedulitate, atq; industria sibi met pollicetur ; videat proinde accuratius, quid hac in re, artificio asequi possit, atq; efficere. Cosmas diu secum meditatus, tandem Abbatii nouam graphidem exhibit, ad quam expetitum opus aggre- di, ac perficere destinabat. Cum ceteris ad eam diem prolatis exem- plaribus, haud paulo amplius illud arrisisset ; placuit Simplicio, ad eius normam futurum edificium conformari. Verum antequam ma- nus operi admouerentur ; Eques nocte per quietem audire sibi visus est, qui se capillo apprehensum excutiens, repeteret, altaris, ac sanctua- rij formam, parum esse idoneam, parum fini, ad quem exigebatur, deseruire ; surgeret proinde, aliamque superiore elegantiorem, & Ca- sinatis Aedis amplitudini magis accommodatam, delinearet. Hic Cosmas recentis visi timore, horrore, perfusus, accubates in proximo famulos trepidè in clamat : accurrunt ; iubet lumen afferri, statimq; arrepto stylo, nouum exemplar, durante adhuc pauore, deformat ; ex quo deinde institutum, perfectumq; opus, penè ad miraculum, felici- ter cessit. Aliquot post mensēs incoepio iam opere, depressoq; ad tres palmos Sanctuario ; cum Ara maxima eundem in modum aptanda supereffet ; non una bīc cura Simplicij animum, & cogitationem anxiè distrahebat. Altare ipsum demoliri, iterum postea restituēdi consilio, non placebat quod Alexander Pontifex, Desiderij Abbatis rogatu,

rogatu, in Casinatis Templi dedicatione, illud idem sacrasset: porrò quamlibet in partem illud impellere, quin vel leuissimo motu, præ vastitate molis, ac vetustate fatisceret, videbatur longè difficillimū. Accedebat summa religio, ac reuerentia Sanctissimi Patriarchæ Benedicti, eiusque Sororis Scolastice: quorum sacræ exuuiæ, cum aliorum preciosissimis cineribus, sub eodem Altari delitescebant. Erat verò timendum maximè, ne qua labes, vel grauiore ruderum casu, vel Cæmentiorum imprudentia, religiosissimo sepulchro inferretur. Deterrebat etiam ab aggressione operis, recordatio Cœlestis vindictæ, quæ non nullos olim, hæc eadem curiosius ausos inuestigare, ac perscurtari, nedum alijs grauioribus incommodis; sed repentino etiam, ac miserabili mortis genere multauerat. Hoc mesu, quò se expediret Simplicius, statuit remotis arbitris, de futuro euentu priuatim periculum facere. Igitur duobus monachis, & uno duntaxat fabro comitatus, intrà Templum se abdidit, ibique occlusis foribus, iussit Cæmentarium propè Aram, fornicem perfringere, quantum homini admittendo satis esset. Adiuu ad interiorem cameram patefacto, ingressi separatim Patres aduertunt, posse ē Aram (inoffenso fornice, & Sanctissimi Patriarchæ Mausoleo) ad Sanctuarij planiciem demitti. Auxere lætitiam inuenti loculi, plurium Monachorum Sanctissimis reliquijs locupletes: è quibus inusitatæ gratissimi odoris suauitas efflabatur. Porrò duplex istud animi gaudium, ingens etiam admirabilitas excepit; quo tempore namque inspiciendis, tractandisq; Diuorum tumulis, Abbas, & Socij distinebantur, pneumatica Sacrae Basilice organa, non in una Coenobij parte, à multis nostrorum sodalium exaudita sunt, suauissimi concentus symphoniam emodulari; cum tamen, neq; pulsarentur à quoquam, neq; intrà clausi Templi ambitum, à religiosis quæsitoribus audirentur. Sed enim admittanda hæc (quæ mense Iulio contigere) baud longum post tempus noua denuò prodigia cumularunt. Altaris moles sanè pergrandis, que (ut diximus) necessariò remouenda erat, ne ulla ex parte inter agitandum labefactaretur, afferibus diligenter obsepta est, arcteq; validis funibus constricta; Iamq; introrsus ad chorum tres circiter

Dum Sacrae reliquia inuenientur, quæ interueniant prodigia.

Basilicæ, Organæ, pulsante nemine, à multis audiuntur ad symphoniam modulari.

vlnas ( quantum videlicet opus erat ) submota ; nox laborantibus  
 operarijs obrepit . Animaduerterat Architectus , Aram ipsam non  
 in medio ( uti debuerat ) sed proprius ad dexteram Sanctuarij par-  
 tem , fuisse collocatam . Itaque impellendo in sinistrum latus Altari  
 ( ad eam videlicet deformitatem tollendam ) aptatis iam machinis ,  
 cum opportunum diei tempus defecisset , Fabri imperfecta ab opere  
 recesserunt . Postridiemanè Eques Comitas , & Cæmentarij Tem-  
 plum repetentes ; dum parant destinatum in locum Aram urgere ,  
 stupentes , atque attoniti vident , nihil ultra opus esse ingenio , &  
 conatu ; Altare in medium sanctuarij partem fuisse submo-  
 tum . Res alijs , atque alijs ( ut fit ) enarrata , perspectaq ; , ingentis  
 miraculi vim habuit . Nam neq ; sine multorum diuturna ope mo-  
 ueri potuisset , neq ; vel meridiana in luce , sine attentissima cura , &  
 accurato lineæ , & perpendiculari usu , præfinito in loco illæsum ad  
 amussim collocari . Eodem die Monachi Sanctorum lipsana è sub-  
 terraneo tumulo , ad Sacrum transtulere : ibidem afferuaturi , quo ad  
 Altaris opus , atque ornamentum perficeretur ; dum autem Sacri  
 Thesauri arculas eleuant , puluere subiectum loculis solum conserne-  
 re , aspiciunt ex eisdem loculis unum ( quo D.D. Simplicij , & Con-  
 stantiini Abbatum includebantur exuuiæ ) illustribus guttis . Undiq ;  
 abundanter humescere , ac perfundi . Collectus statim in vitreas  
 ampullas gossipinis flocculis affluens liquor , qua par est reverentia ,  
 & religione à Casinatibus afferuatur . Simplicius Dioecesim perlu-  
 strans , eo ipso die apud sanctum Petrum in fine ( quod Oppidum  
 septem ferè milliaribus à Sacro Coenobio distat ) commorabatur :  
 cumq ; obducto circumquaq ; nubibus cælo , per fenestram prospiceret ,  
 oculis fortè Casinum versus directis , animaduertit eam solum Monasterij faciem ( quæ in conspectu erat ) collucere , quæ ad Orientem  
 vergens , per illud anni tempus , vel maximè usq ; cælo ( ea quidem  
 diei hora ) solaribus radijs illustrari non poterat . Rem demiratus ,  
 Monachum ( qui forte aderat ) socium adsciscit , ac testem inusitatæ  
 visionis , iubetq ; spectaculum illud diligentius contemplari , & ob-  
 seruare ; addidit etiam , opinari se , eo ipso temporis articulo Casinates

Ara maxima  
 sponte in fini-  
 strum latus  
 fecerit .

SS. Simpl. &  
 Constan.  
 vrna puriss. tore  
 prodigiosè  
 exudant .

Aliud prodi-  
 gium à luce .

in re-

in remouendis, transferendisùè sacris Pignoribus occupatos detineri: nec eum fefellit opinio; nā Domum postea reuersus, cognouit de monachis, rem ita prorsus babuisse, quemadmodū ipse met absens habere anteà pronunciauerat. Sub hæc Simplicius, vt in re lögè grauissima cau- tissimè se gereret, ac prudentissimè; indicto Sacrae Theologie, iurisq; prudentiè peritorum conuentu (quē ipse met prius instituerat) communi omniū confessione definitum est; ex Theologis primæ notæ, Judices quatuor, itēq; ex præcipuis iuris Doctoribus duos assessores diligendos esse, qui omnes auditio prius Fisci Curiæ Abbatialis Præfecto, de in- uentis nuper sacris Corporibus, editisq; miraculis, ex Tridentini Con- ciliij præscripto, ac formula, diligentissimè inter se conferrent. Ab his igitur unum in locum congregatis, omnia summo studio discussa sunt, ac publicis commentarijs consignata; quibus sacrorū Pignorum, rerūq; supra naturæ vim, atq; ordinem effectarum, veritas manifestò com- perta; atq; de prebensa declarabatur. Tum vero Abbas perspectis, homines Diuinæ scientiæ, legumq; humanarū cognitione pereruditos, maiore numero conuocauit: fuere in his Abbates aliquot, numerusq; Sacrae Theologie studia profitetium ex nostra sodalitate, non exiguis; itemq; permulti Sacrae Sapientiæ Magistri, tum nobilissimis è fami- lijs DD. Dominicj, Francisci, Augustini Sodales, tum è Clero etiā nonnulli: è Ciuitate Germanensi, Diocesisq; vniuersa omnes iuris utriusq; consultissimi. In hoc cōuentu, gesta superioris cōfessus perfecta sūt omnia summaq; diligētia singillatim ex ordine recognita, et expēsa: cūq; nihil nō rectè prudēterq; factū cōstitisset actis ipsis ingēti omniū approbatione, ac latitia, subscriptis; à Simplicio, post grates Diuinę bo- nitati ab omnibus persolutas, dimissus est cœtus. Demū per breui decem mensū spatio absoluta Sæciuarij, atq; Ara maximæ structura, perfe- citisq; ornamentijs, Abbas cœlestes opesè Sacrario (vti cogitauerat) in pristinā sedē reponere decreuit; quod ut celebri maximè apparatu, ac pōpa, festaq; gratulatione perageretur, nulli labori, aut impēs est par- citū. In id quæcūq; requirebantur, Neapoli elaborata, coemptaq; em- nia. Tum deniq; Kal. Octobris solemnī supplicatione indicta, omnes è Clero conuocati, statuta die, atq; hora conuenere. Multos sparsus futuræ celebritatis rumor, remotis ex Oppidis, longè vero pluri-

Theologorū,  
& iurispruden-  
tiæ Doctorum,  
duplex conuen-  
tus indicitur,  
ad expendendā  
miraculorum  
veritatem.

Judices fuere.  
P. D. Gabriel à  
Puppio Prior  
Cassinenis.

P. D. Germa-  
nus de Torres  
Vic. Gen.  
D. Felix à Ia-  
nuario Curiæ  
Abbatial. The-  
ologus.

Archipresb. S.  
Germani.  
Assessores.  
Gubernator S.  
Germani.  
Consultor Re-  
uerendi Vicar.  
Generalis.

Numerosior  
adhuc cōuen-  
tus ad sandem  
rem examinā-  
dam conuoca-  
tur.

## ELOGIA ABBATVM

mos ex circumpositis Castellis, & ab Urbe præsertim Germanensi Casinum perduxerat. Ingens etiam Monachorum numerus ab Roma, & Neapoli, vicinisq; è Coenobijs, quæ loci, ac Diuorum religione, quæ Simplicij iniuitatu eodem confluxerat. Rebus igitur accuratè dispositis, tertiana precatio in choro maturè decantata, Patres in Sacrarium conuenere. Simplicius sex inter Abbates sedebat medius: veroq; è latere confidebat longa ministrorum series: Suus cuiq; amictus, qui suplicationis, & rei sacrae functiones eo die solemnissimas, decebat maximè. Confidebant è regione Abbatum ad dexterā quidem Iudices quatuor, Assessores duo; at laeva Prothonotarij, ac Notarij octo; aderant tesies, & honestiorum hospitum frequentissima corona circumstabat. Principio sacrarum reliquiarū productæ capsulæ: quæstū an eadēmet essent, quæ anno superiore sub Ara maxima inuentæ fuerant, & in Sacrarium translatae; quo ritè comprobato, cetera deinde eundem in modum ex Tridentinæ Synodi, & Sacrorum canonum præscripto peracta sunt, absolutaq; omnia: statimque à presentibus Scribis, in publicas tabulas relata. Ad extreum Arculae ipse plumbeæ ( quatuor numero ) totidem nouis, ex eadem materia, prius à Simplicio sacratis, insertæ sunt. Apposita singulis sua schedula, Sanctorum nominibus, quorum venerandas reliquias seruabat, adnotata; & primi quidē libelli hæc erat inscriptio

SANCTORVM MONACHORVM CASINENSIVM RELIQVIAS,

QVORVM NOMINA PERIERVNT IN TERRIS:

SED SCRIPTA SVNT IN CAELIS, SVB ARA MAXIMA CONDITAS,

SIMPLICIVS CAFFARELLVS HOC NOMINE SECUNDVS,

A SS. P. BENEDICTO ABBAS CXXVII. MERITIS EXCELOS,

EDITIORE IN LOCO COLLOCAVIT,

ARAQVE HONORIFICENTIVS EXORNATA,

MAIOREM IIS CVLTVM DEINCEPS HABERI IVSSIT,

ANNO AB ORTV CHRISTI MDCXXVIII.

VRRANI VIII. PONTIFICATVS ANNO VI,

REGNANTE PHILIPPO IV, HISPANIARVM REGE CATHOLICO.

Secun-

*Secundi, verò sic babebat.*

SANCTORVM MONACHORVM CASINENSIVM GVINIZZONIS.

ET IANVARII EIVS DISCIPVLI MIRACVLORVM GLORIA

ILLVSTRIVM CORPORA,

HVC OLIM TRANSLATA EX MONASTERIO S.NICOLAI DE CICONIA,

ET SVB MAIORE ALTARI POSITA,

VT IPSVM HONORIFICENTIVS EXORNARETVR,

SIMPlicIVS CAFFARELLVS HOC NOMINE SECUNDVS,

ET HVIVS SACRI MONASTERII ABBAS CXXVIII.

SOLEMNI POMPA ELEVAVIT, ET DECENTIORI LOCULO

CONDITA REPOSVIT KAL. OCTOBRS MDCXXVIII.

PONTIFICATVS S. D. N. VRBANI VIII. ANNO VI.

PHILIPPO IV. HISPA NIARVM REGE CATHOLICO REGNANTE.

*At tertij in hunc modum.*

CORPVS S.CAROLOMANNI REGIS, ET MONACHI CASINENSIS,

QVEM CLARIOREM REDDIDIT CELLA, QVAM REGIA:

CVCVLLVS, QVAM PVRPVRA: PEDVM, QVAM SCEPTRVM:

OBEDIENTIA, QVAM IMPERIVM,

E MONASTERIO VIENNENSI (VBI CVM APVD PIPINVM FRATREM

FRANCORVM REGEM,

AD ITALIAE PACEM PROCVRANDAM LEGATIONE FVNGERETVR,

VITA FVNCTVS EST) HVC TRANSMISSVM,

ET AD SS. PARENTIS BENEDICTI PEDES POSITVM,

SIMPlicIVS CAFFARELLVS, HVIVS SAC. COENOBII ABB. CXXVIII;

VT QVI HONORIS INSIGNE REPVLIT VIVENS,

RECIPERET MORTVVS, SOLEMNI POMPA ELEVATVM,

IN ORNATIOREM LOCVLUM REPOSVIT KAL.OCTOB. AN. MDcxxxvij.

PONTIFICATVS S. D. N. VRBANI OCTAVI ANNO VI,

PHILIPPO IV. HISPA NIARVM REGE CATHOLICO REGNANTE.

## ELOGIA ABBATVM

*Postremi dentq; buiusmodi erat inscriptio.*

SANCTORVM ABBATVM CONSTANTINI, ET SIMPLICII,  
SANCTISSIMI PATRIS BENEDICTI DISCIPVLORVM,  
ET SVCCESORVM CORPORA, AD EIVS PEDES POSITA,  
SIMPLICIVS CAFFARELLVS HOC NOMINE SECUNDVS,  
ET HVIVS SACRI COENOBII ABBAS CXXVIII.

DVM ALTARE MAIVS EXORNANDVM CVRARET,  
INGENTI SVI, ET MONACHORVM OMNIVM LAETITIA REPERIT,  
CVM RIVI SACRI NECTARIS EX ARIDIS OSSIBVS EMANARENT,  
ET IVCVNDSIMO CVM ANIMI SVI SENSU  
SACRAS SVORVM PRAEDECESSORVM EXOSCVLATVS,  
ET VENERATVS EXVVIAS, VT HONORIFICENTIORI LOCVLO  
CONDITA IN POSTERV M SERVARENTVR,  
SOLEMNI POMPA ELEVAVIT, ET REPOSVIT KAL.OCTOB: MDcxxxvij.  
PONTIFICATVS S. D. N. VRBANI OCTAVI ANNO VI,  
PHILIPPO IV. HISPA NIARVM REGE CATHLICO REGNANTE.

Instituta supplicatio, qua pompa, & ordine.

Quibus ritè peractis, hoc ordine instituta supplicatio. Sacrum Vexillum præferebatur: ponè ibant duodecim sodalitiorum seculares Collegæ, in duodecim classes, suis sub signis distributi; sequabantur duo è sacra Francisci disciplina manipuli, alter fratum Capuccinorum, Minorum alter. Tum cohors Dominico Duce religiosam militiam profuentium, succedebant linteati è Casinatis Dioceſis Clero, ad quadrigentos. Proximè incedebat Monachorum caterua ingens: quoru è numero sacris, pretiosisq; vestibus exculti, amplius quadraginta conspiciebatur; subibant deinde quatuor feretra, quorum singulis deferendis, quaterni Monachi humeros supposuerant. Primo ferculo, quorum nomina intercidere; secundo Corolomanni; tertio Guinniz Zonis, ac Ianuarij; quarto Simplicij, eò Constantini, sacrati cineres seruabantur: primi, eò secundi gestatores dalmaticis; tertij sacerdoti amictu; quarti Pontificio, spectabiles incedebant. Sacrarum Reliquiaru puluinaria sub umbellis ex serico, eò argēto textili, cù aureis fimbrijs, stragulis attalica è ueste cooperta ferebātur. Porro è nobilita-

te Neapolitana primarij viri (qui casinū religionis ergo aduenerant) deferendi Sacrorum Pignorum umbellas, partes sibi desumptere. Secundum feretrum sceptro, & corona, Regum notis; Quartum pedo, & thiara, Abbatum insignibus, præmittebat. Sex Abbates mitrati, cum Pontificio amictu, postremi feretri verunque latus cingebant; Simplicius eodem habitu, cultuque insignis, supplicantium agmen cludebat. Sequebatur religiosorum hominum distinctè, ordinatèque incedentium cateruam, conferti populi copiosissima multitudo, quæ summam capitum ad octo millia, facile conficitbat. Sacri Cineres ea pompa, non exiguum Montis partem circumlati, hoc maiore pietatis sensu, & admiratione omnium, quod celeberrime solemnitati, celum ipsum palam uideretur applaudere; nam paulò ante, quam compositum agmen è Templo procederet, disiectis nubibus (que ad eam horam minutulo, imbre depluerant) Casinatem Montem nitidissima luce perfudit; cum tamen per idem tempus, circumposita latè loca, obscura nubium caligine premerentur. Dies à sole, & ardentibus cereis (quos longus supplicantum ordo, & circunfusæ multitudinis plurimi gestabant) aucto lumine, solito splendor agebatur. Omnia Montis latera, lœtis populi acclamacionibus; modulatè canentium symphonia; & repetitis scloporum displosionibus resonabant: Cum toto etiam triduo (quod solemne festum processit) quotidie sub noctem disposita per Cœnobij fenestras luminaria, ignei turbines, accensæ tede, ac lignorum strues, & creberrimi maiorum fistularum ictus, è Montis fastigio exauditi: proxime celebritatis signa, longè etiam disiunctis Oppidis edidissent. . Tempulum, & Peristylia preciosis aulaeis; porrò aulae a carminibus, & elogijs passim ubiq; affixis, pulchrius enitebat: siquidem Monachi politioribus literis exculti, Diuorum immortales laudes, ita suis scriptis celebrauerat, ut ipsi quoq; ingenij, et pietatis non exigua laude retulerint: Peracta supplicatione, Simplicius Abbas Sacrum solemne fecit, egregijs symphoniacis (quos ab Neapoli, alijsq; locis aduocauerat) suauissimè intercinentibus. Quo absoluto, Sanctorū GuiniZzonis, ac Ianuarij (quod mortale erat) facello, ad id, nouissimè extructo, est conditum cum sequentis Elogij appositione.

Pluuiio circū  
quaque Cœ-  
lo Casinum  
sudo aere  
gaudet.

Triduo è Ca-  
sinate Mōre  
edita futuræ  
celebritatis;  
festa signa.

Insignis Basi-  
licæ, & Cœ-  
nobij orna-  
tus.

Simplicius  
Reliquias  
SS. Guiniz.  
& Ianuar. in  
Sacello à se  
constructo  
reponit.

SIM.

## SIMPLICIVS CAFFARELLVS

ABBAS A SANCTO-PATRE BENEDICTO CXXVII.

DVM SACRA DIVORVM PIGNORA

HONORIFICENTIVS PARAT REPONERE;

SVAE IN DIVOS RELIGIONIS

CLARISSIMA PIGNORA REPORTAT.

DVM VENERANDAE EXVVIAE DETEGVNTR,

SOL IPSE VENERABVNDVS CONTEGIT RADIOS,

COENOBIVM PRODIGIOSE RADIANTEM LVCEM,

SVAE LVCIS DEFECTV ADAVCTVRVS,

MUSICVM ORGANVM PVLSANTE NEMINE,

ARCHANO TANTVM IMPVLSV,

AD ARMONIACVM CONCENTVM INSONVIT:

NE A CONCORDI SVPERVM, HOMINVMQVE

GRATVLATIONE DISSONARET:

ARIDI CINERES, SVAVEOLENTI RORE HVMESCENTES,

MAIOREM PIETATIS FLAMMAM

IN ANIMIS CASINENSIVM ACCENDERE:

DVM E VETERIBVS SOCIORVM RELIQVIIS,

RECENTES SVBOLESCERE RELIQVIAS CONSPICIVNT.

LIQVIDARVM IMBRE LACHRYMARVM,

SOLIDAE VOLVPTATIS MAGNITVDINEM CONTESTANTES.

ANNO AB ORTV DOMINI MDGXXVII.

AB OBITV BENEDICTI PARENTIS MLXXXV.

At

At Simplicij, Constantini, Carolumanni, & reliquorum exusiae, sub Ara maxima eundem in locum relate sunt, unde superiore anno fuerant asportatae. Ceterum ad absolutam celebrimae festivitatis gratulationem. & magnificentiam, quod unum superesse videbatur, id vero abunde, ac liberaliter est praesitum; omnibus videlicet, qui Casinatem Basilicam eo die inuiserunt ( inuisere autem, ut diximus, ad octo millia ) pro cuiusque statu, & conditio-  
ne, humanissimi hospitiis benignitate recreatis. Arae maxime ( qua parte D. Benedicti sepulchro iungitur, & Odeum spectat ) affixus est lapis lydius pergrandis, Arae ipsius, & sepulchri ornementum, haud mediocriter adaugens. Huic aureis notis haec leguntur in-  
sculpta.

Octo millia  
hospitum  
liberaliter  
Casini habi-  
ta.

### A. M. D. G.

SANCTISSIMI P. BENEDICTI MONACHORVM PATRIARCHAE,  
ET S. SCHOLASTICAE VIRGINIS, SORORIS EIUS CORPORA,  
SVB HOC ALTARI, VNO EODEMQUE SEPVLCHRO,  
VBI PRIMVM POSITA FVERE,  
SAMCTE QVIECSVNT.  
HAE POST ANNOS BIS CENTVM,  
PETRONACE ABBATE, S. ZACHARIAS PONT. MAX.  
PIE PERSPEXIT,  
ET VT RERERIT, INTEMERATA RELIQVIT:  
ET POST ALIOS TER CENTVM ANNOS,  
ABBATE DESIDERIO, INSPECTANTIBVS APOSTOLICAE SEDIS  
LEGATIS, ALEXANDER II.  
QUI ET BASILICAM HANC DEDICAVIT:  
INTACTA, ET INDIMINVTA INVENTA FVISSE  
TESTATVS EST:  
AD IPSORVM PEDES SANCTORVM ABBATVM,

CON-

## ELOGIA ABBATUM

CONSTANTINI, ET SIMPLICII,  
 EIVSDEM SANCTISSIMI PATRIS BENEDICTI DISCIPVLORVM,  
 AC IN SEDE SVCCESSORVM,  
 ET S. CAROLOMANNI REGIS, ET MONACHI,  
 QVEM SVI CONTEmPTVS  
 CLARIOREM FECIT,  
 PATIENTIA ADMIRABILEM,  
 ET ALIORVM MVLTORVM SANCTORVM  
 MONACHORVM CORPORA RECONDVNTVR.  
 SIMPLICIVS ABBAS HOC NOMINE SECUNDVS,  
 ET IN EADEM SEDE CXXVIII,  
 QVI ALTARE, AC THOLVM  
 EXORNANDVM CVRAVIT,  
 PIETATIS SVAE MONUMENTVM POSVIT,  
 ANNO AB ORTV DOMINI MDCXXVIII.  
 AB OBITV BENEDICTI PARENTIS  
 MLXXXVI.

*Postremò visum est operæ pretium, breui narratiuncula testatum fa-*  
*cere posteritati; quanto meliore successu, Diuina benignitas*  
*banc Simplicij Sacrorum Pignorum perquisitionem*  
*donauerit, præ illa, cui propè ducentis ab hinc an-*  
*nis Ioannem Aragonium, aliosque planè*  
*infeliciter operam dedisse monstra-*  
*uimus. Perquisitionis,*  
*inuentionisq;*  
*exitum ( quando præ inopia temporis incidi*  
*marmoreo in lapide non potuit ).*  
*proposita tabella hunc in*  
*modum palam*  
*facit.*

AN.

**ANNO DOMINI MCCCCCLXXXIV,**

AVSOS PROFANIS AVSIS

RELIGIOSA DIVORVM PIGNORA

E VENERANDIS ARAE MAXIMAE TENEBRIS IN LVCEM REVOCARE

MINAX CAELVM HORRIBILI TONITRV, FVLMINE, PLVVIA,

AB INCOEPTO REVOCAVIT,

TELLVS CREBRIS AGITATA TREMORIBVS PERTERREFECIT,

SED MINIS, AC TERRORE, INCASSVM CEDENTIBVS,

SACRORVM CINERVUM CVRIOSI QVAESITORES NON CESSERE.

ACRITER DENIQVE IN PERVICACES ANIMADVERSVM:

DIVERSO MORTIS GENERE INTRA ANNVM DEFVNCTIS,

QVICVNQ. FVERANT EADEM INVISA SVPERIS PIETATE PERFVNCTI.

**ANNO DEINDE MDCXXVII.**

IDEM DISPARI STVDIO TENTATVM, DISPARI EVENTV SVCCESSET.

VBI CAELESTES THESAVRI IN APERTVM SE DEDERE,

CLAVSVM VNDIQVE NVBIBVS CAELVM

(VT ACCEPTAM SVPERIS PIETATEM

ATRATO AMICTV CLARIUS TESTARETVR)

CASINVM DVNTAXAT NOVA LVCE PERFDIT.

HVMVS QVOQVE RELIGIOSAE FVNCTIONI ARRIDENS,

PRETIOSIS EXVVIIS, PVRISSIMO RORE ILLACRYMAVIT.

ET MVSICA ORGANA, QVO IMPENSIVS AD PIETATEM IMPELLENTER,

NVLLIVS IMPVLSV MVSICOS CONCENTVS REDDIDERE.

AGNOSCANT POSTERI:

SINCERA PIETAS, SIMVLATAE PIETATI QVID PRAESTET.




Dd

AD

## AD LECTOREM.



Omicilium Casinas, tam multis abundat  
(præter suos Abbates) eximiæ sanctita-  
tis Heroibus; ut omnium Elogia conte-  
xere, omnem cuiusvis excedat Orato-  
ris facultatem: nullorum verò, nullam  
arguat erga ipsos, in eiusdem instituti  
Scriptore obseruantiam. Perpaucos selegi de plurimis,  
quorum adumbratis virtutibus, meus hic liber illustrare-  
tur potius, atque enitesceret, quām quos ego consenta-  
neis laudum præconijs exornarem. Hoc, tu, meum con-  
silium ( amice Lector ) & quidquid est suscepti amplius  
laboris, boni consules, & libenter amplectere:  
plura deinceps accepturus, si pauca hæc  
grata tibi, nec iniucunda acci-  
disse cognouero:-  
Vale.



SAN.

## S A N C T V S P L A C I D V S

Monachus Casinas,

ET NOSTRI INSTITVTI CLARISSIMVS

P R O T H O M A R T Y R ,

Vna cum triginta tribus Socijs apud Siculos  
 mortem fortiter subiit.



Vllam ætatis imbecillitatem, subeundo Christi iugo non idoneam, nullam quævis splendida in domo, tantam esse posse deliciarum assuetudinem, quæ (modo erectus animus, & constans virtutis propositum non desit) religiosi status disciplinam non admittat: nisi aliunde compertum habemus, illustre tamen Placidi Sanctissimi Martyris exēplum perdoceret. Septennis adhuc à Tertullo Patre summæ nobilitatis, ac probitatis viro Sublacum dedetus, Benedicto, per ea tempora vitae spiritualis eximio Præceptorí, ad pietatem informandus committitur. Illa porrò ætatula, quæ parentum inter blanditias, & pueriles æqualium lusus adolescere, & educari solet, ad seuerioris vitae normam, mira dexteritate cōposuit se se, religiosis moribus, quibus accuratissimè inficiebatur, egregiè cōbabit. Hinc breui ciborū abstinentiæ, humilitatis, obediētiæ, ac precationis laude clarus, in ipso adolescētiæ flore, suauissimos maturæ sāctitatis fructus collegit.

Septennis à  
Patre D. Be-  
nedicto in  
disciplinam  
traditur.

## ELOGIA ABBATVM

Tertullus, degentem apud Casinum filium aliquot annis, quam Deo in seruitutem tradiderat, reuisens, luculētis prædijs, partim in agro Campano, partim in Siciliensi positis, Monasterium cumulata liberalitate affecerat: quæ postea D. Benedicto causa fuit, constatam è suis alumnis cohortem, Placido Duce in Siciliam dimitendi; cuius potissimum illustri probitate, atque innocentia proferrendum Ordinem, præsentia verò, & authoritate paternas possessiones, facile rentum iri existimaret. Annos igitur duos, ac viginti natus Siculam expeditionem cum suscepisset, plurimis variè, grauiterq; affectis, impartita sanitate, totum iter ingenti prodigiorum multitudine nobilitauit. Messanam secunda nauigatione, cum socijs adiectus, Tertulli Patris amicissimos homines obuiam habuit: à quibus perspicua summi honoris, ac studij significatione exceptus est. Mox illato de construendis monachorum ædibus sermone, placuit ad maris littus Cœnobiū excitari. Itaq; felicibus auspicijs incœptū opus cum intentissima cura vrgeretur, qnarto demum anno fastigiū accepit. Quo simul tēpore, ne latius ædificijs, quā sodalium multitudine promoueretur institutum, haud pauci ad religiosi cœtus disciplinam, & cōuictum fese addidere. Interim eorum, quæ apud Siculos prosperè, ac mirabiliter à fratre gerebantur, lætissimis nuncijs erebti Eutitius, Victorinus, ac Flauia Virgo, Romana ab Urbe, vt ipsum Placidum inuisant, præsentesq; alloquantur in Siciliam traiiciunt. Vbi dum longiores moras apud Germanum trahunt, & egregia pietatis documenta vicissim captant, ac præbent ipsi: Fortunatissima breuis æui iactura, vitæ immortalis usuram adepti sunt. Quip-

In Siciliam  
mittitur à  
D. Bened.

Eius fratres,  
ac soror in  
Siciliā proi-  
ciunt.

pè

pè Mamuca ingentis barbarorum classis Præfetus, exscensione apud Messanā sancta, cū populabundus agros, ac villas infesto milite percurreret, in Plaeidiano Cœnobio, impotentis animi rabiem effudit; 'Sacro cœtui diuinis laudibus persoluendis intento, concubia nocte superueniens, immissis in omnes ædium partes è suo comitatu sicarijs, qui domesticam supellectilem diligenter conquisitam aueherent; ipse (vti erat æque impius in Deū, atq; in homines ferox.) partes sibi depoposcit, religiosissimos viros exagitandi: grauissimis supplicijs, sœua necce intētata: nisi à Christo, eiusque Religione descisserent. Verum è sacra familia, omnibus ad vnu disertissimè impietatem abnuentibus: Mamuca minaci edicto, atrociore scelere fidem facit. Nam Placidum, Eutitium, Victorium, Flauiam, arctiore spiritus, quàm sanguinis vineulo inter se constrictos fratres, & triginta insuper monachos dirissimè excruciat, necatque. Martyrum corpora minutatim concisa, volucribus, ferisq; in escam proijcuntur: sed aliquot è socijs, qui se fuga subduxerant, decenti sepulturæ mandarunt. Res familiaris militum libidini, atque auaritiæ cessit; Cœnobium ferro, flammaq; euersum, deletumque; prorsus vt Mamucæ in digressu persuaderi potuerit: nullum olim Religionis vestigium eo in loco repertū iri, vbi enectis veræ pietatis cultoribus, disturbatoq; domicilio, tot ipse impietatis, ac sœuitiæ vestigiare reliquisset. Verum contrà quàm nefarius pirata crediderat (aliò rem totam trahente Numine) euenit. Mamuca cōscensa naui, dum in patrias sedes, opimis spolijs onustus, ac gaudens vela facit, vi fœdæ tempestatis iactata classis, diffracta que, Ducem, milites, ac prædam

Martyrio cor  
ronatur cum  
fratribus, so-  
nore, & tri-  
ginta Mona-  
chis.

vltri-

214 ELOGIA VIRORVM ILLVSTRIVM

Mamuca cū vtricibus vndis absumentos exposuit. Placidus genero-  
sua Classe naufragium facit. sè, constanterque obita prò Christi morte, illud vicissim  
immortalis gloriæ decus à Deo retulit; ut clarissimum  
sacri Martyrij titulum primus in eam familiam inuehe-  
ret, quam antea viginti, ac septem annorum sanctissimis  
vitæ actionibus cohonestarat; Siciliensis ager secundo  
sacratae legionis cruce irrigatus, accēpta Religionis in-  
commoda, lætiore in posterum prouentu rependens, co-  
piosissima semper Monachorum sobole redundauit.

S A C T V S M A V R V S A B B A S  
Monachus Casinensis.

D. BENEDICTI RELIGIOSVM ORDINEM,  
*primus inuexit in Gallias.*



Vtychius inter clarissimos Romanorum,  
non senatoria dignitate, quām proba-  
tissimis moribus conspectior: Mauro fi-  
lio, perpetuae Numinis seruituti deuo-  
to, eadem qua Tertullus, eximæ pietatis  
gloria præcelluit. Annum agebat Mau-  
rus duodecimum, cum religiosam palæstram Benedicto  
Duce, Placido commilitone ingressus, huius proficiendi  
conatum, & alacritatem, illius studia, & virtutem, to-  
tiusq; vitæ disciplinam strenuè æmulari, atq; effingere  
contendit. Ieiunij, & inediæ amantissimus, cùm aliæ  
semper parcissimè vicitabat: tūm sacro Quadragesimæ  
tempore non nisi semel, aut iterum per hebdomadam,  
cibum

cibum degustabat verius , quām sumebat . Erecto ferē corpore ( nisi, si præter modum defatigatus, strato super aggestum calcis, & sabuli cilicio cubaret ) captabat somnum . Diuinis rebus, & legendis, & commentandis, quō purius, attentiusque vacaret , nocturni temporis bonam partem addixerat . Nec vigilijs tantum , ac sobrietate ; sed rudi etiam , atq; aspero vestitu , vehementiores carnis impetus compescuit . Obedientiæ virtus ( cui intentio studio dabat operam ) in eo ad miraculum enituit . Nā Placidum vicini lacūs abreptum flumime , dum Magistri iussu festinus persequitur , parendi ardore prudenter incautus , super aquas excurrit : donec præsenti discriminē ereptum infantem , calcatis impunē fluctibus , ad terram attraxit . At vero cum firmissimis virtutum præfidijs ad immortalem sanctitatis gloriam niteretur , & sodalibus religiosæ vitæ specimen præluceret : ab ipsomet Benedicto ( cui admirationi erat ) in partem oneris , & curarū adscitus est . Ceteris igitur , secundum Præceptorem , officio , ac dignitate prælatus , non modo submissius se gescit , ac sanctius : sed prudentiæ etiam , & miræ in subditos dexteritat̄ laudem promeruit . Hæc inter Cenomanorum Episcopus insigni virtute , ac pietate Antistes , missis casinum Oratoribus , aliquot eius Familiæ alumnos , ad propagandam Monachorum sobolem in Galliam enixè deposcebat ; cuius æquissimis postulatis , cum sibi parendum esse Benedictus existimasset , Faustum , Constantimum , & Antonium testata probitate Cœnobitas delegit , qui Moderatore , ac Præside Mauro , efflagitatū Ordinem in eas regiones deportarent . Maurus in itinere sanctissimis moribus Placido non inferior , miraculorum

lorum amplitudine , & copia simillimus, omnes ad quos adiit, patratis prodigijs, in sui admirationē traduxit. Sub aduentū in Gallias, tristī nuncio comperiunt Patres, Episcopum (cuius rogatu , accersituque eō contenderant) paulò ante discessisse ē viuis. Verum non defuere , qui defuncti Præsulis religionem æmulati, Monachos aduenas singulari humanitate , omnibusque officijs excultos hospitio susciperent. Florus inter francorum Proceres flagrantissima apud Regem gratia facilē Princeps, Religione apud Deum eximius, in ipsa adolescentia vxore orbatus , euangelicæ perfectionis desiderio flagrabat.

*Florus Regis  
Francorum  
gratia insi-  
gnis Maurū,  
& socios ex-  
cepit.*

Is ergo Maurum, ac socios audissimè complexus, omnia illis abundē suppeditauit, quæ ipsorum vitæ rationi, atque instituto consentanea videbantur . Monasterium in vno ē suis prædijs magnifico sumptu, atque opere ædificauit : cùm Religiosorum domicilijs , & sacra Basilica insigne : tūm abundantī supellestile , amplisque redditibus opulētum. Quin paulò post nobilissimi Cœnobij liberalitatem, pretiosiore adhuc munere cumulauit : Bertoldo filio (quem vnum habebat octo annorum infantem) diuinis obsequijs in religioso statu mancipato. Demum Florus ipse oblatis Deo fortunis , ac sobole , locupletissimum se arbitratus , si profusa in Christum liberalitate , seipsum, ac sua eidem tradidisset : volens, ac lubens monasticæ vitæ se addixit . Cui postmodum cucullum induēti, cum Theobertus Rex interuenire voluisse, eidē proximè post S. Maurum præ gaudio , ac religione manantibus vbertim lacrymis, capillum totundit; Regem subinde Primores aulæ (qui frequentes conuenerant) in sacra cæremonia imitati . Sub hæc Teodobertus perlustratis,

*Bertoldum  
filium Diu-  
na seruituti  
dicat.*

*Demum &  
ipse fit Mo-  
chus.*

lauda-

laudatisque singulis Cœnobij partibus, vna cum Monachis in Triclinio humanissimè discubuit. A prandio Regiae facilitati par quoque munificentia, ac liberalitas adiecta. Bonorum, quæ Florus Monasterio contulerat, donationem sanxisse non contentus, sacram Aedem pretiosis ex auro, gémisq; muneribus, pluribus Villis, magnisq; vestigalibus Collegiū ditauit. Quarum largitionū tabule statim per Scribam regio iussu confectæ. Paucis interie-

Rex cū Mo-  
nachis iu tri-  
clinio cibum  
sumpsit.

Etis annis Theobalbus cū paterno imperio, animi quoq; propensionē in Maurum, ac socios adeptus, eosdē etiam eximijs honoribus, ac beneficijs prosequitur. Demū Clotarius rerum in Gallia, defuncto Theobaldo, potitus, tutādis, ornādis, amplificādis nostri Ordinis hominibus egregiè cum superiorum Regum pietate, ac munificentia cōtendit. Iam verò Maurus premente senio, quò proprius à morte, hoc immortalitatis desiderio ardentius flagrans, in remotiorē Monasterij locū se inclusit, ieunijs, meditationibus, psalmorum recitationi die, nocteque insistens.

Quam vitæ rationem cum biennium tenuisset, laterum dolore confectus, septuagenario maior sanctissimè decessit. Ordinis sui institutum (quod primus in Gallias inuixerat) admirabili vitæ innocentia, crebisque miraculis coruscans, mirabiliter auxit, ac propagauit: trium verò potentissimorum Regum honorifco ad se adventu, summa veneratione, & insigni munificentia cultus; incredibili diuitiarum, & pretiosæ supellecilijs abundantia communiuit. Fama tenet, multorum literis, ac sermone confirmata, Maurū (qui nihil omnino pecuniæ in Fraciā intulisset) sub morte, annuos reditus tā pingues suis Cœnobij reliquisse; vt decies centena millia,

S. Maurus  
sanctissimè  
obit.

Eē aureo.

aureorum conficerent. Usque adeo insignis Francorum pietas, in germana nostrorum hominum sanctitate complectenda. & animos, & opes prodigiosè exprompsit.

### SANCTVS STEPHANVS TERTIVS, PONT. MAX.

Monachus Casinas.

*Per multos annos admiranda edidit eximiæ sanctitatis,  
& prudentie facinora.*



Primus in Ca  
sinatem fa  
miliam Pon  
tificatum in  
uexit.

Stephano tertio, qui primus supremi honoris maiestatem, & ornamenta in Cœnobium Casinense inuexit; deberet ea familia sanè plurimum; nisi Stephanus virtutem, ac sanctimoniam, ceteraque dotes, quibus Pontificatum adeptus, sapientissimè administravit, eidem Collegio referret acceptas. Hic genere, atque animo verè Romanus, concepto ab ineunte adolescentia Religionis desiderio: Casinum ad cœlestis vitæ exercitationem se contulit: quo in genere admirabiles progressus habuisse traditur, & ea insuper doctrinæ præstantia, rerumque agendarum excellenti vsu floruisse: ut Zacharias Pontifex eius celebritate nominis adductus, inter Romani Senatus conscriptos Patres, eundem postea retulerit. In amplissimi officij dignitate constitutus, ita se gessit, ut in ore omnium, atque admiratione versaretur. Tribus deinceps summis Pontificibus, Zachariæ, Stephano, & Paulo acceptissimus, magno vsui, ac præsidio fuit; maximi momenti

menti negotijs insigni vigilantia, fide, prudentiaque cōfectis . . . Paulo subinde ex humanis erupto, Romæ per annum integrum, Desiderij Longobardorum Regis improbo astu, per factiosos homines, magnis p̄æmiorum pollicitationibus oneratos, Pontificum comitia corrum-pentis, vehementer tumultuatum est. Tandem Christophoro Primicerio annitēte (cuius authoritas, & opes Romæ in paucis eminebant) cum de nouo Antistite subrogando, ex sacris decretis relatum esset: omnes in vnum Stephanū, veuerandæ sanctitatis Cardinalē, mirifico consensu inclinarunt. Philippo igitur, & Constantino abdicare coactis, Stephanus suffragatorū votis adlectus, in Vaticano, more maiorū consecratur. In Pontificatu ad reliquarum virtutū præsidia, quibus antea enituerat, insigni fortitudine, optimi Principis partes, ac numeros omnes expleuit. Primum omnium ad Ecclesiæ laborantis rationes, & commoda conuersus, Lateranense Conuentum indixit; in quo adhibitis ex Italia, Galliaque Præsum lumen sapientissimis, dissolutam Cleri disciplinam pro temporis, ac rerum oportunitate, seuerioribus statutis coercuit. Deinde Michaelem diris grauibus deuotū Rauen-nate Archiepiscopatu deiecit, quē nullis dū sacris initiatu, Principum virorum, ac Desiderij præsertim Regis benevolentia subnixus, impudenti temeritate inuaserat. Nouissimè cum in eius muneris vigilia tres annos, ac paulò amplius posuisset, de re Christiana peregregiè meritus decessit, magno sui desiderio, magna integritatis opinione reliqta. Monachorum gens, vnde tantum lumen, ac decus in publicum prodijt, non tam alūni sui amplissimis honoribus insignitur, gloriaturuè,

In Pontificē  
eligitur.

Lateranensē  
Conuentum  
indicit.

Michaelem  
Archiepisco  
patu Rauen-  
nate deiecit.

quam, quò in supremo dignitatis gradu , religiosæ disciplinæ apprimè memor , ac tenax , priuatis suis rationibus publicas res ; magistratu, ac vita potiorem semper habuit sanctitatem.



## GELASIVS SECUNDVS

Monachus Casinas.

*Cùm ceteris virtutibus : tūm patientia , animique fortitudine annuum Pontificatum illustravit .*



Agno prorsus in errore versari eos , ac decipi , qui religiosæ vitæ cultores tradandis Reipublicæ muneribus impares , minusque idoneos autumant , Gelasius è nostris ( vt alios omittam ) euincit ; qui è religiosa familia , vbi totam fermè ætatem contriuerauit , ad summum Ecclesiæ magistratum assumptus , singularis virtutis , ac sapientiæ Pōtificem se præstítit . Caietæ nobili loco natus , exacta nōdum pueritia , nobilissimum seruitutis genus , inter Casinates monachos professus est . Ibi pietatis studia cum literarum exercitatione coniungens , insignem doctrinæ copiam sermonis nitore , atque elegantia ( quod ea tempestate prò miraculo est habitum ) exornauit . Quare ingenio , ac moribus nitens , ab Urbano secundo Cardinalis renunciatur . Ea dignitas homini impensè pio , ac probō , virtutis incitamentum fuit , non desidiæ fomes , vel

Caietæ nobili loco natus fit Monachus Casinas.

Cardinalata decoratur.

con-

consuetæ industriæ remissio. Mox Paschali secundo in Pontificatu successor memorandum, religiosæ moderationis, ac patientiæ specimen, & insigne constantis animi exemplum dedit. Inter ipsa Comitia, quibus ad Ecclesiæ regimè summo Patrū cōfensu euectus est, cū à Cincio Francipanio, Henrici Imperatoris gratia, & opibus, inter Romanos præpollente, indignissimè vapulasset: obtorto collo in terram deiectus, & pedibus protritus, carceri mancipatur. Vnde à Romanis Proceribus extēplò in libertatem, supremumque dignitatis locum restitutus, nihil tamen in Frācipaniū statuit, quod tam atrocis contumeliæ vindictam, vel tenuem saltem recordationem præferret. Ceterum, urbanos tumultus, Henrici furor, atque arma excepere: cuius repentina ad Vrbem aduentu, animo consternatus Pontifex, Caetam occultè profexit: ubi demum in Patria per Episcopos (qui frequentes, cum adiacentium populorum Regulis conuenerant) summa gratulatione, ac lætitia inauguratur. Capuam subinde commigrans, in conuentu Antistitium (quos undique conuocauerat) numerosissimo, Henricum, & Gregorium pseudopontificem, diro anathemate perculit; cuius rei nuncio, ita excanduit Imperator, ut Pontificiæ ditionis Oppida in Latio percurrens, tetro armorum tumultu, ac maleficijs omnia repleuerit. Verum militaris apparatus fama, quem Gelasius accitis Apuliæ, & Capuae Dynastis, admirabili celeritate contraxerat, exteritus, iter in Germaniam conuertit. Sub hæc Pontifex potentissimo Imperatore, qui se hostem apertè gerebat, fugato; priuati ciuis simulata recōciliatione deceptus, in fugam coniicitur. Vrbe siquidem, dimisso exercitu, inermis,

Pontificatū  
adeptus illu-  
stre præbuit  
patiētia do-  
cumentum.

mis; ac nihil à quoquam periculi metuens, repetita: cum ad amicos diuertisset, nihil proprius est factum, quām vt à Francipanij factione iterum captus, iterum daretur in carcerem. Imminenti discrimine vix trepida fuga di scusso, habita cum clientibus suis de summa rerum consilia; quorum omnium hæc vna vox, & sententia fuit: quādoquidem Romæ ab aduersarijs securitatem sibi præstare non posset, auspicato romanis Pōtificibus itinere, proficeretur in Franciam. Quo probato consilio, cum in Burgundiam deuenisset, ad Cluniacense Cœnobium, viennæ Cō-  
ciliū habuit. sanētate, amplitudine, opibus inter Gallicana celeberrimū diuertit. At eo ipso tempore( ne à Christiana re promouenda, prò virili desisteret ) Viennæ Concilium habuit, ordinando Ecclesiæ statui accōmodatum, ac salutare. Cluniacum inde ad Monachos regrediens, per acuto laterum dolore sœuissimè cruciatus, paulò post extinguitur: cum in supremo honoris gradu vix annum solidum egisset; tam multis calamitatibus, atque incommodis redundantem: ut grauissimis curis, molestijsque obsecptus Pontifex, interquiescere, ac respirare nunquam potuerit; suauissimo videlicet Diuinæ Benignitatis permisfu, quo Gelasij virtus, ac sanctitas celsissimo in loco constituta ( quoniam Christiano Orbi illustrando, ad breue tempus destinata fuerat ) perpetua ærumnarum serie, quasi perenni ventorum impetu agitata, multò latius, nitidiusq; splendoris sui iubar explicaret.



Sanctus Carolus Mannus, filius Pipini, natus anno 742, fuit  
dux Burgundie, et regis Francorum, qui regnabat ab anno 751  
**S A N C T U S C A R O L O M A N N U S**

*Caroli Martelli natu maximus, Pipini frater,*

*Caroli Magni Patruus, è Rege*

*Monachus Casinas.*



T' verò Carolomanum multiplicis Regni contemptu religiosam nuditatem mercatum, quis tandem vel satis admittetur, vel prò dignitate commendet? Iam inde à pueritia tacito naturæ instinctu, & domesticæ virtutis exemplo militiam expetijt; tum firmiore ætate progressus in aciem, insigni armorum vſu, ac prudentiæ laude præcellens, invicti Ducis officium, ac munus egregiè sustinuit. A Patris obitu cum Astrasia illi, Trasphenanæq; gestes obuenissent, & virtuti arridente fortuna maiore deinceps Imperii, ac nominis spe, haud quaquam dubia niteretur: eo ipso tempore, à præcipiti Regiæ potestatis fastigio, in tutu religiosæ humilitatis iter reuocatur. Ante autem quām Regni titulos, atque insignia deponeret, sumptis armis Odilonem Baioariæ, Homoaldum Aquitaniæ Principes, inita defectione tumultuantes, cohibuit; & noua molientes Alemannos, & Saxones, vi, terroreque illato repressit. Id verò ea mente, ut si discordias inter, armorumque strepitus, imperium abdicaret, ne secretioris vitæ consilium naturæ timiditati obtendere videre-

Tam latè patentem Principatum, dimisit, ut olim duodecim Regibus sufficerit. Trium eius de Origine Fratrum.

Sanctissimi Bonifacij Germaniæ Apostoli consilijs, & adhortationibus.

tur, & seculi contemptus periculorum fuga credi posset.  
Ita cum labantem Francici Regni statum consilio pari-  
ter, ac bellica virtute firmasset; tum demum rebus secun-  
dissimis, integra ætate, amplissimo dominatu, multisque  
victorijs pernobilis, è splendido deliciarum sinu, ad ar-  
ctiorem Crucis complexum, & ignominiam properans,  
secretò arrepta fuga, itineri se dedit; ac foræctis latebras  
ingressus, leuiora secum certamina, & primas iniit cum  
inconspicuo hoste prolusiones. Verum quotidianos Fran-  
corum concursus moleste ferens (gregatim illuc è via  
Flaminia diuertentium) loco cessit.

Indè igitur Romæ  
Ab Zacharia Pontifice Mo-  
nasticæ habi-  
tu donatur. adiens, ab Zacharia Pontifice, cucullo insignitus ad Ca-  
sinas Cœnobium dirigitur, tutiorem videlicet solitudi-  
nem, & rigida monasticæ disciplinæ obseruantia cele-  
berrimam. Per iteratas preces, patefacto sibi in mona-

sterium aditu, ita se gerere instituit, ut seueriore legum  
custodia cederet nemini, multos anteiret. Petronax so-  
dalitij moderator integer æquè, ac prudens, exploratu-  
rus Carolomanni patientiam, & æquanimitatem, re-  
centi adhuc conuerfione, haurienda aqua, tergendi ol-

lis, ac lancibus, ceteroque vltimi seruitij munere occupa-  
uerat. Quæ quidem fuit duriorem Christi militiam se-  
dulò profitenti, egregia in primis, maximeque oportu-  
na nobilitandi tyrocinij occasio; nam quandiu coqui  
operam dedit, eximia pietatis, & constantiæ significa-  
tione luculenter ostendit, germanam seculi nobilitatem,  
infimis Claustri functionibus non sordescere, sed illustra-  
ri, & exhibitam in religioso famulatu, vel oscurissimis  
hominibus obedientiam, clarissimis Regum imperiis, ac  
potestati præcellere. Nunquam antea tanta usus erat

con-

In Sora&t  
Montis late-  
bras se abdit

Ab Zacharia  
Pontifice Mo-  
nasticæ habi-  
tu donatur.

InterCasina-  
tes admitti-  
tur.

Humilibus  
exercitijs  
eius virtus  
probatur.

contentione, hostibus acie profligandis; quantam sibi  
ipſi vim intulit, domestica Coqui acerbitate perferen-  
da. Nam ad labores, & seruilia opera, ut studii, atque  
alacritatis afferret plurimum; socij tamen voluntatem  
( hominis insigniter morosi ) per quam raro asseque-  
batur, in iracundiam ſæpiſſimè incurrebat: Diuinæ ni-  
mirum Prouidentiæ permifſu, quæ per eam occaſionem  
ſerui ſui conſtantiam prodere, & illuſtriore corona  
munerari decreuerat; ad quam elaborandam præceps  
administri furor, contumeliæ, ac verbera mirum in  
modum contulerunt; is enimasperitatis uſque eò pro-  
cesserat, ut mitiſſimi ſodalis offenſiculas grauioribus  
paſſim conuicijs inſectaretur, & per ſummam auda-  
ciam ſemel, iterum, ac tertio colaphis etiam vindica-  
rit, nullum interim perturbationis animi ſignum præ-  
ſeferente Dei famulo, & pro diu imprecatione alapas  
inſignti ( cui de nomine ignotus erat) hoc tantum re-  
ſpondente, PARCAT TIBI DEVS, & CAROLO-  
MANNVS. Interim abieciſſimis muneribus prompte,  
atque hilariter exercendis, abſoluto tyrocinio, Abbas, re-  
ligionis candidatum, Monachorum Collegio adſcipit:  
quo facto eidem imperat ( dum aliò per obedientiam  
euocetur) pauculas oues in rem Cœnobij curet, videatq;  
diligenter, ne ipſius desidia aliquid detrimenti capiant,  
neuē numero imminuantur; ſi præ virtutis, ac dotum  
inopia grauioribus muneribus ſuſtinendis ſodalitio uſui  
effe non potest; at in leuiſſimo nauiter ſe gerens detope-  
ram, ne viquequaq; ſit oneri. Itaq; Carolomānus chlamy-  
de in attritā lacernā, ſceptro in pedū cōmutatis, & ex Re-  
ge factus Opilio, quotidie mane gregē educebat ad pafcuā

Quām patiē-  
ter Coqui  
acerbitatem  
ac verbera  
prætulerint.

vesperi reducebat ad caulas . In apertam solitudinem, vbi deuentum erat, ouibus virentes herbas, horrentesq; dumos attendentibus: religiosus Pastor alto illo silentio, & rerum pacatissima quiete , meditationi fauentibus ; oculos erigebat in Cælum, & psalmorum modulationi, diuinorum rerum commentationem interserens , animum supernis delicijs saginabat . Porrò autem quamuis ouium curationem obiret solus , & quæ procul ab arbitris agebat, nemini cuiquam perspecta essent, ac explorata ; Deo tamen cordi fuit, solidæ eius virtutis testatissima quædam indicia proferre in lucem . In uigilabat aliquando de more ad gregis custodiam in remotis locis ; cum ecce tibi è latebris erumpentes Sicarij, pecudes adoriantur , & abigere occipiunt . Hic mitissimus Pastor perditorum furori , atque audaciæ obuiam factus : ad oues , inquit , quod attinet, persuasissimum mihi est , nullam me quidem permittente, ablatum iri : in me verò, si quam vobis facultatem concesserit Deus , quominus arbitratu vestro exerceatis , non recuso . Quæ cum diceret inermis licet , ac pannosus contrà facinorosos, orationis tamen ardore , ac maiestate vultus perfecit ; vt laciniata veste, qua tegebatur , contenti, ab ouium cæde , ac rapina téperarent . Mox vbi domū reuersus, in Abbatis cōspectū se dedit , rei narrationem, ita vt erat, solo femoraliū amictu præcinctus, sūmo cū pudore, ac verecūdia exequitur . Præfēs quāvis altissimā regij pectoris humilitatem tacitus demiraretur : nihilominus in præsens durioribus verbis increpitū, ad cōsueti muneriis procurationē diligētius obeundā remittit . Huic religiosæ moderationis præclaro sanè documento par illud fuit, atq; haud scio, an etiā illu-

Inermis ar-  
matorum fu-  
torē repre-  
fit.

illustrius, quo eiusdem insignis sui victoria, non ita multò post mirabiliter enituit. Carolomanno è pascuis ouile repetenti fortè animaduersum est, claudicantem ouiculam ægrius adrepere ad gregem; cuius imbecillitati, cum grauius adeò damnum metueret è via, siquidem accelerare cogeretur; sin lento gradu subsequi pergeret, ne moræ, atq; impedimento sibi esset ad redditum; statuit pecude in humeros sublata, quod reliquum erat itineris conficere. Ab hac verò pecude intereundum lotio vber-tim perfusus, eam fœditatem, ac sordes, ita cum sto-macho, & nausea auersatus non est, exquisitis olim mun-ditijs, & splendidi cultus elegantiæ assuetus; ut nec præsentionere se leuarit, nec domi postea, vel leuiter cõ-questus sit. Quare Petronax spectatum iam satis, & abundè probatam hominis demissionem ratus, adeunte ad se Carolemannum hilari vultu, & humanioribus ver-bis admittens, gratulatur profectum, suaderetq; ut propo-siti tenax in religioso statu maiores progressus faciat; po-stremò veluti eimeritis iam stipendijs militem, durioribus militiæ oneribus liberat, iubetq; è pecudum custodia, ad vineæ culturam gradum facere. Nimirum hic honos est habitus, hæc requies concessa potentissimo Regi, diutur-nis laboribus, & insimi muneris cura perfuncto. Scili-cet aurea illa tempora decurrebant, cum Cœnobiorum Præsides Regulæ seruantissimi, Ordinis disciplinam indiscriminatim ab omnibus sartam tectam exigebant; nec qualis quisq; domi fuisset, sed quale instituti præcep-ta, & communis vitæ ratio postularet, præ oculis habe-bant, ne, si indulgentiores nobilioribus, seueriores obscurioribus se præberent, arctior legum custodia sol-

Pecudem in  
humeros su-  
blatā ad Cœ-  
nobium de-  
fert.

Ad vineæ cul-  
turam gradū  
facit.

ueretur, ac paulatim pessum iret. Dum igitur annis, ac sanctitate prouectior Carolomannus excolenda vinea ætatem degeret, recte factis, & obedientiæ præsertim exercitamentis spectabilem, moderatoris sui voluntati obsequutus, in Franciam se retulit, ut Romani Pontificis animum (qui tum fortè in Gallia morabatur) Pipini fratris opera, Longobardorum Regi conciliaret. Legatione prudenter, & ex fide obita, cum res impeditior videretur, quam ut breui explicari posset, ex aula in religiosam domum se contulit, rei exitum commodè præstolatus. Vbi lethali morbo correptus, intrà paucos dies excessit è vita. Pipinus sacras exuuias aureo inclusas loculo Casinum transmisit, additis insuper, quæ clarissimi Regis munificentiam, & fraternam pietatem declararent, præclarissimis opere, ac pretio muneribus; aurum scilicet, ac gemmas præteritæ nuditati rependente Deo, & summam omnium venerationem serui sui virtutibus conciliante; ut quo in loco Regia sublimitas infra omnes se depresso, efferretur in cælum, & propo-

sita ob oculos absolutæ virtutis imagine, Monacho-

rum genus in omnem posteritatem, vel eru-  
bescere signavia cogeret, vel ad sanctimoniam, his quasi

facibus inflammasse.

maret.

SAN.

S A N C T V S R A C H I S I V S  
Longobardorum Rex;

*Abdicato Regno; in Casinate Monte, Deo se consecrat;  
Coniuge, ac Filia in eandem Religionis  
sententiam traductis.*



Vm nulla fèrè præclari cuiusquam facinoris laus sit, quam Italorum gens vetere instituto præ ceteris nationibus ardentissimè non admet, ac verò etiam felicissimè assequatur; tertio anno quām Carolomannus Cœnobium inierat, Rachisum Longobardorum Regem, vna cum Thesia Coniuge, & Ratruda filia, cumulato pietatis exemplo, Casinum destinauit. E Foroiuliensi Ducatu, quem magna cū laude administrarat, rei Longobardicæ præfectus, nihil religione in Deum, æquitate in subditos: benignitate in omnes, antiquius habuit. Sub ipsa Regni exordia pluribus Templis per amplæ possessiones dono datæ; foedus cū Romano Pontifice in viginti annos percussum: tum procedente tempore sublata maleficiorum impunitate, iure omnibus æquabiliter dicundo, legibus superiorū Regum, è re nata explicandis, corrigendis, supplendis; totius Italiæ quieti, atque otio insigniter consuluit. Et hæc quidem per quatuor annos. Quintus (qui Regni postremus fuit) si belli clades aduertas, parta prius decora nō nihil infecit; si vitæ melioris consilium, ac professionem, longè reddidit illustriora. Quæ verò causa mitissimi inge-

E Foroiulien  
si Duce Lon-  
gobardorum  
Rex.

In Regni ad-  
ministratio-  
ne, æquitas,  
ac Religio.

ingenij Principem, nulla ( quod quidem constet ) iniuria lacescitum , ad arma impulerit , annalium monumenta non produnt . Sunt, qui credant immoderata proferendi Regni cupiditate adactum , pacis artibus militiae studia praetulisse ; quo vitio ad Regni perniciem longobar dicæ rei moderatores, plerique omnes fœdum in modum laborarunt . Ut ut est . Contracto de repente exercitu

Armis Pen-  
tapolim ve-  
xat .

Perusiam  
obsidet .

Zachariæ Pô  
tif. suasu ob-  
sidionem sol-  
uit .

Romam pro-  
fiscitur .

Ab Zacharia  
monasticis  
vestibus do-  
natur .

Rachisius in Pentapolim se intulit , terrore , ac cædibus omnia permiscens . Inde Romanam in ditionem progressus , Perusiam acri obsidione premere institit . Quo nuncio percussus Zacharias spectatæ sanctitatis , ac prudenter Pontifex , ut belli incommoda , suo vnius in modo facilius amoliretur , ad Rachisium in Castra se contulit , quem sanctissimi muneris dignitate , ac rationum momentis , ut mitiora consuleret facile persuasum , eò adduxit , ut incolumi regione , militem , soluta obsidione , Papiam reduceret . Postero anno cum Regis animū cupido subiisset Romanū Antistitem , & insigniores Vrbis Basilicas invisendi , assumpis secum Thesia coniuge , & Ratruda filia : honesto in primis , ac frequenti Aulæ , ac Regni nobiliorum comitatu stipatus , iter Romam intendit . Vbi Zachariam Pontificem simul atque conspicatus est , augustissima oris specie , sacroque habitu reuerendum : tacita religione perfusus , confessim ( mirum dictu ) Cleri-

cum profiteri voluit , & paulò post vehementiore etiam pietatis flamma incensus , regio cultu abdicato , Monasticum , ipsomet impertiente Zacharia , suscepit . Quibus peractis Romana Aula , ipso præsertim Pontifice , vniuersaque adeo Italia in summam admirationem traductis , & præfacti nouitate obstupescientibus , Casinum perrexit .

xit. Rege inter Monachos cooptato, Thesia, Tatruداq; itineris, ac propositi comites, proximè Montem, exædificato Cœnobio, inibi religiosam vitam professæ sunt. Porrò cælestis instituti legibus arctè adeo se deuinxit, tūm viri, tūm fœminarum insignis pietas: vt par omnibus sātitatis fama, cultusq; expleto mortalitatis cursu, obuenierit. Rachisius quidem Religionē vix dum inita, agellū poposcerat vitibus sua manu conserendum: quo facilem impetrato, reliquum vitæ spatium in eius cultu exegit. Subigenda tellure, curandaq; vinea, dum nullum tempus laboris vacum sibi daret, eam animi quietem, ac solatium perpetuò sensit, quæ delitijs olim, ac voluptatibus circumfluens, ne per interualla quidem degustauerat; simulque ligonis, ac sarculi vsu, illustrius nomen, certioremq; gloriam adeptus est, quām regalibus armis, tractandoque sceptro compararat. Nam erit fortasse qui regnum ab blandientis fortunæ munus, vel studiosi populi concessionem, quām debitum Rachisij virtutibus honorem esse malit, & partas bello victorias, partim militum audaciæ, partim hostium imbecillitati adscribat; Verum è sublimi regiæ fortunæ solio, religiosæ frugalitati obuiatum, & intrà angustæ vineæ cancellos, immensam animi cupiditatem coercuisse, quæ latè patentis Regni limites egressa, in omnes amplificandæ ditionis occasiones inuigilarat; id verò est huiusmodi: vt in eo omnes vnam

Rachisij pietatem perspicue dignoscant, animi moderationem percelebrent, & regij facinoris præstantiam admirentur.

Apud Casinū  
D. Benedicti  
institutum  
complecti-  
tur, vna cum  
coniuge, &  
filia.  
Vineam serit  
& curat.

ALBERICVS MONACHVS CASINAS,  
& Diaconus Cardinalis,

*Berengarium de auguſtissimo Euchariftiæ Sacramento  
detrahentem, obmutescere coegit.*



Oenobium Casinas, iam inde à primo sui exordio, celebris virtutum, ac sapientiæ Academia ; cùm aliàs semper, tûm verò Desiderio Abbatे, virorum probitate, ac doctrina clarissimorum insigni multitudine abundauit. Nam quo tempore Constantino, portentosa eruditione inclyto gloriabantur, multos præterea educabat, varietate doctrinæ, sacrisque lucubrationibus per celebres. In his Amatum, & Alphanum præcipue numerant editis commentationum voluminibus, & adepta postmodum Præfulatus dignitate conspicuos. Verum nullius, quām Alberici nomen, ac literæ sæpius apud historicos, honestiusq; prædicantur ; cuius nimirum præcellentis ingenij, & exactæ literaturæ præstantia, Romæ tristī, ac luētuoso Christianæ Reipublicæ tempore spectata est, & insigniter collaudata. Cum enim Berengarius Andegauensis Ecclesiæ Diaconus linguam, & calamum, in Sacrofæcta Eucharistiæ mysteria impiè, dementerq; exacuisset, & sæpè admonitus desipere tamen, ac delirare pergeret ; Nicolaus secundus ad opprimendam enascentis morbi perniciem, pro Pontificio munere conuersis curis, Romæ sa-  
crorum

crorum Antistitum coacta manu, Berengarium quoq; ad dicendā causam eodē aduocauit. Neq; verò ille ( qui est hæreticorum impudens, & perficta frons) pro cetera sua audacia, grauissimorū Patrū ora aspicere , aut os suū Romanæ celebritati ostentare dubitauit . Quin vt erat in dicendo copiosus , ac promptus, itā erroris sui impietatē palam tuebatur, ac propugnabat ; vt orationis caliditate, veluti præstigijs quibusdam, Auditoribus imponens, ve- nerandi confessus Præsules in summas angustias addu- xerit . In hoc rerum articulo constitutus Pontifex, cum animo sanè grauius , vehementiusq; angeretur, Albericū Casinatem Cœnobitam, cuius singularis sapientiæ cele- brém famā perceperat, Romā subitō accersiuit : Eò cum venisset Albericus, detecta Berengarij arte, ac dolis, + ad eius obiecta, rationesq; diluendas, quò se melius cōpara- ret, octidui solitudinem, ac secessum postulauit . Tū autē per exigui temporis egregia lucubratione instructus , cū audacissimo Religionis hoste congridetur, quem ita ver- sat in omne latus, itā vrget, ac premit, vt post longam di- mictionem dirépta pugna : non modo nefarij dogma- tis impietatem strauisse , verū ipsimet etiam aduersario lingua præcidisse videretur . Vsq; adeo Berengarius ex sacris literis, probatissimisq; Ecclesiæ Doctoribus appo- sitè, subtiliterq; disputanti Alberico, quid prò se responde- ret, non habuit . Video esse nonnullos, qui hunc profliga- tæ Berengarij hereseos triumphum, Lanfranco Monaste- riij Cadomensis apud Anglos Moderatori, cum Alberico cōmunē faciant, neq; ego cōtrà niti, ac repugnare, vel au- sim, vel debeam ; quippè deriuata præclarissimi operis in Lanfrancū parte, nihilò tamen minorē cumulatæ virtutis

Comparat  
se ad Beren-  
garium con-  
futandum .

Eundem cō-  
futat .

fructum Albericus ipse perceperit. Cū enim ambo in D. Benedicti Sanctissimū Ordinē adscripti, easdē leges, atq; instituta castissimè profiterentur, & longè auctiori charitatis nodo, quàm germani fratres inter se colligati, ijsdem studijs, ac moribus, eodemque Religionis spiritu viuerent: quīs non videat, communicata inter ipsos decora, ornamenta q; gloriæ amplificari, potius quàm decrescere, eoque vberiorem esse nostræ sodalitatis laudem, quo plures habuisse constiterit eximiæ virtutis, ac doctrinæ alumnos. Illud igitur indubitatum maneat, ac prò certo statuatur (quod apud omnes in cōfesso est) Albericum Casinatem Cœnobitam siue per se solum, siue Lanfranci virtute in societatem egregij facinoris adscita, de Berengario celebrem victoriam retulisse, non minus laboranti Ecclesiæ salutarem, congregatisque Romæ publico in confessu Patribus iucundam, quam Casinati Colle- totique adeo familiæ nostræ memorabilem, ac v-

卷之三

PAV-



## PAVLVS DIACONVS

*Ecclesiæ Aquileiensis, genere Longobardus, Desiderio  
Regi à Secretis, tūm relicto seculo  
Monachus Casinas.*



Am graues sunt, tamq; in oculis quotidiani aulicorum casus: vt quilibet illud vitæ institutum, prudenter alieno malo declinare, quām periculo suo experi-ri mallet: nisi metu potentior ambitio, quorum animos semel imbuit, mentis quoque aciem offusis tenebris impediret. In eorum igitur numerum, ac societatem, qui arctissimæ seruitutis speciosas compedes vltrò induunt, Paulum quoque iam inde ab adolescentia, par honorum spes, & cupiditas con-iecit. Principio Desiderij Longobardorum Regis au- lam ingressus, liberalium artium insigni commendatio-ne, in intimam eius familiaritatem irrepuit; eo successu, ut perhonorificum regia gesta literis cōsignandi munus, & Aquileiensis Ecclesiæ Diaconatum, herilis beneuo-lentiæ præmia retulerit. Hinc Paulo, Diaconi cognomen; adepta dignitate inditum, perpetuò adhæsit. Mox inclinante Desiderij fortuna, & quotidie in deterius pro-labente, Paulus in codem fidei, & obseruantiae vestigio, erga Principem, de se optimè meritum, constantissimè perseverauit: nam Italicī Regni dominatu, ac libertate à Carolo Magno exutum, libenti, ac prompto animo ca-ptiuum in Gallias est prosequutus. Quin etiam (quod

Renunciatur  
Regis histo-  
ricus, & Dia-  
conus Aqui-  
leensis.

Desiderium  
in Gallias  
prosequitur.

Gg 2 magis

magis mirere) politioris doctrinæ studijs, & ingenij dexteritate conciliato sibi Caroli fauore, ac gratia, nunquam tamen in animum induxit, conclamatis Desiderij rebus amplissimas Galli opes, & efflorescentem gloriam anteferre. Tametsi fortuna, instituti sui non immemor (quæ aulicoru maximam partem in syrtes, ac scopulos, tu maximè impellit, cum prospero adspirans flatu ad extitos honores, & summa votorum promouere se simulat) Paulo ad honestissimos gradus, & insignem duorum Re-

Vita, & existimatione: gum benevolentia diutius velificata: eundem subito repericitur: flatu destituens, cum manifesto existimationis, ac vitæ discrimine ab vtriusque Regis aspectu, & consuetudine inhumaniter diuellit; nam inuidorum fraude, & calumnia, maiestatis eo nomine postulatus, quod Desiderium afferendi in libertatem studio, necem per insidias Carolo molitus esset, Iudicum sententia exilio multatus in Diomedis insulam deportatur (vtiq; ne grauius in eum animaduerterent ipsomet Carolo prohibente) qua in latebra cum aliquot annos vitam in moerore, atq; ærumnis traduxisset, demum Custodis sui ope, ac beneficio elapsus, Salernum ex fuga se contulit. Hic apud Arichim, Desiderij generum, & Adelbergam filiam, Salerni humanissimos Principes, summis honoribus cultus biennum commoratur; quo ipso tempore fortunæ inconstantiam, fallaces mortalium spes, irritos vitæ superioris conatus, ac labores, adita pericula, toleratas ærumnas, & (quod caput est) præsens æternæ salutis discriminem, & ancipitæ aleam attentè, ac serio contemplatus, prudenter constituit, multam salutem aulæ simul, ac seculo dicere; id autem quo expeditius, securiusque succederet (defuncto

Exul in Dio-  
medis insulā  
deportatur.

Fuga lapsus  
Salernum ve-  
nit.

com-

commodum Arichi) Casinas Cœnobium celebri sancti- Apud Casinū  
tatis fama notissimum petiit: vbi cucullum induens ma- fit Monachus  
tura iam ætate, longoque rerum vsu, ac peritia grauis,  
omnes curas, cogitationesq; eo conuertit, vt Claustrī di-  
sciplinam, & Patrum decreta studiosè, diligenterq; ob-  
seruans, re, ac factis sanctissimi instituti alumnum se præ-  
beret. Simul autem Carolus recens Pauli consilium, &  
susceptæ vitæ rationē cognouit, de salute charissimi ca-  
pitis mirificè lætatus, teneri non potuit, quin eidem me-  
tro exaratis literis arreptæ disciplinæ, locique, sanctita-  
tem, atq; otium gratularetur. Quarum mihi literarum Caroli Ma-  
partem hoc loco inferere visum est, vt clarissimi Impe- gni ad Paulū  
ratoris in literatos homines eximia facilitas, & de Casi- versibus exa-  
natis Congregationis sanctitate præclara existimatio, ratae literæ.  
evidentius internoscatur. Est autem huiusmodi.

*Hinc celer egrediens, celeri mea carta volatu  
Per sylvas, & Colles, Valles quoque perpetè cursu,  
Alma Deo ebari Benedicti tecta require;  
Est nam certa quies fessis venientibus illuc.  
Hic olus hospitibus, piscis, hic panis abundat,  
Pax pia, mens humilis, pulchra, & concordia fratrum.  
Laus, amor, & cultus Christi simul omnibus horis.  
Dic Patri, & socijs cunctis, saluete, valete.  
Colla mei Pauli gaudendo amplecte benignè,  
Dicito multoties salue Pater optime, saluè.*

Si cuiuspiam delicioris palatum insuauior stylus, &  
vulgaris carminis humilitas offenderit, præter quām  
quod rudioris seculi verius, quām nobilissimi Poetæ id  
vitium fuit: licet è Caroli moribus tantum suavitatis, &  
elegantiae desumere, quantum ad omnes omnium poe-  
tarum versus condiegos abundè sufficiat: nec iure quis-  
quam

quam eius orationis humilitatem reprehenderit, quam Regiae Maiestatis singularis humanitas usque adeo at tollit, & commendat. Ceterum Paulus acceptis à Carolo literis & suo, & fratum nomine respondens, pro effusa in ipsos regiae voluntatis significatione grates, quam diligentissime persoluit. Neque hic salutandi inter ipsos, ac literarum finis; sed suauissimae in posterū amicitiae, sermonisque per epistolas frequens cōmunicatio intercessit. Verum enim uero quonia Paulus ingenium, ac literas ad aliorū utilitatē, ac fructū accommodauit, Longobardorū historiæ ( quibus suæ gētis res gestas exequuntur est ) in manibus sunt, doctiorū usu, ac iudicio insigniter commendatae. Appendix item ad Eutropium, duobus duobus libris contenta ( quam Adelbergæ rogatu elucubratur ) & legentibus conducit, & scriptoris eruditione abunde testatur. Et haec quidem in seculo, & soluta oratione; nam ab Religionis ingressu, cū multam pro vitæ instituto cum sacris Musis rationem habuisse, earū afflatus spiritu, Diuorum aliquot egregia facinora, & laudes luculentis versibus celebrauit. Quo in genere, carmen in D. Ioannē Baptista Tutearem suū, maximè commendatur: cuius pietate, ac numeris Romana Ecclesia delectata, anniuersarijs Sāctissimi Præcursoris celebratibus toto Orbi Christiano recitandū proposuit, estq; inter sacratos Hymnos elegantia, & venustate, facile princeps.

Longobardo  
rum historiæ  
à Paulo con-  
scriptæ.

Eutropii ap-  
pendix,

Hymnus in  
D. Io. Baptis,

Alia insuper  
metro scrip-  
fit, quæ in  
Casinate Bi-  
bliotheea af-  
seruantur.

Aliæ præterea eiusdem Pauli scriptiones recensentur sānè multæ, quarum bona pars temporū iniurias experita interiit, reliquæ nec dū typis, ac prælo subiectæ, Casinatem Bibliothecā exornant. Deniq; ille idē Paulus, qui anteā in seculo egregia licet eruditione insignis, & apud

cla-

clarissimos Reges apprimè gratus, aduersæ tamē fortunæ impetu, & aulicorum insidijs iactatus ab aula in exilium electus fuerat, cūm deindè salubriori consilio procul à negotijs, & tumultibus Dei seruitutem aliquot annos in Clauistro, maxima cum animi tranquillitate, ac fructu seruisset; vitæ curriculum, nedum placidè, ac laudabiliter, sed illustri etiam virtutis, ac sanctitatis opinione apud Casinum terminauit.



### SANCTVS BERARDVS.

Monachus Casinas.

*Aprutinorum Ecclesiam singulari integritate gubernauit.*



Videlicet olim Plato in partem felicitatis prudenter numerabat, rectè sapere, flices, ac beatos prædicare solitus, quibus in ultima etiam senectute illud contingisset; hoc ipsum Berardo à prima ætate diuinitus concessum in omni vita perpetuum fuit, ac stabile. Verum Christiana religione, ac sapientia imburi homines, Berardi felicitatem non inde potissimum metiuntur, quod optimè senserit, sed quod ea ipsa, quæ Deo authore, ac magistro mature didicerat, opere, ac vita complexus sit, nullamque ætatis partem perfectæ virtutis actionibus, officijsq; expertem traduxerit. Illustri Comitum Pallæ aureæ familia in Samnitibus ortus, ab egregia animi indole multò etiā illūstrior, ludi-

ludicris puerorum studiis subductum infantiae tempus ;  
 serio pietatis cultui se posuit . Inde vna cum annis virtutum quoq; adolescentे progressu Cœnobium Sancti Salvatoris paterno in Comitatu situm , multis ijsdēq; pinguis latifundijs ditauit . Mox occultis incitamentis ad altiorē vitæ statū impellenti se Deo ; viamq; ad Religionem præmonstranti , promptissimo animo est obsequutus . Hinc Casinum adiens , constrictā religiosa obediētia seruitute in ab omni caducarum rerum cupiditate solutus , ac liber , exhibuit . Ac deinceps propositi sui non immemor , omnes proficiendi ansas ( vnde cunque se offerrent ) auidissimè occupabat . Inter Commilitones ut alium alia virtute maximè insignem cōpererat , ita studiofissimè æmulari : moderatoribus suis , quæcunq; præcipierent , maiora , minorauè , non sècùs , ac iubenti Christo , mira alacritate parere : de se porrò quām abiectissimè sentire , & loqui ; & quò erat spiritualibus bonis instruētior , hòc se egentiorem , magisq; destitutum arbitrari . Ex quo animi sensu , atq; inductione , sanè religiosissima , incredibile est , quātū ad cælestes opes , vel tuēdas vel augēdas præsidij acquireret . Hac euntē via , magnis itineribus , cursuq; perfaciili , ad maximarū virtutū metā , diuinæ bonitatis impulsus perduxit . Aetate iam , ac religione maturior , annuente Casinate Præfecto , ad Sancti Ioannis in Venere sodalitum cōmigravit , exactissimo Monasticæ disciplinæ cultu per ea tempora insigne . Vbi tametsi religiosæ solitudinis amantisimus , & publici quam qui maximè fugitans , vitam degeret , ab secularium consuetudine remotissimā ; illustri tamen virtutis splendore , ac fama proditus , apud exterias nationes , ne dū apud Oppinos

Cœnobium  
in Samnitib.  
ditat.

Fit monach.  
in Casinate  
Monte.

Proficiendi  
ardor.

Ad s. Ioann.  
in Venere se  
transfert.

dámos, & accolás, summo in honore est habitus. Hinc Aprutino Antistite ex humanis sublato, primores Ciuiū æque, ac vulgares, pari consensu Ecclesiam illam Berardo, tradere, ac demandare constituunt; ac, ut omnis tergiuersationi, ac fugæ aditus occluderetur, Romani Pontificis decreto ipsorum electione sancita, Berardum nolentem, gementemqne è Cœnobij humilitate, ad illud dignitatis culmen, sacrasque infusaſ abripiunt. Porrò demandatæ ſibi prouinciæ præfecturam strenuè adeò moderatus est, vt nulli dubium eſſet, quin latendi ſtudio, parendique cupiditate, non virtutis, ac prudentiæ inopia id muneris repugnanter ſuſcepiffet. Quarè ybi Paſtorem animarum, ac Ducem constitutum ſe à Deo reputans, ad onus laboriosissimum, vitamque ſuperiore multò perfeſtiorem vocatum, non ad animi remiſſionem, ac delicias intellexit; tūm verò omnes ingenij, atq; induſtriæ neruos in procuranda ſui gregis ſalute, & cōmodis intendit. Ac quoniam Rectoris innocentia, atq; integritas continendis in officio ſubditis, reuocandisqne ad ſobrietatem, ac temperantiam conducit plurimum; eximiæ ſanctitatis opinionem (qua priuatæ vitæ ſanctitate Aprutinorum animos imbuerat) clarioribus virtutum exemplis maiorem in modum stabiliuit. Ergo animi, ac morum candore singulari, eximia pietate, charitate ardentissima prædictus, omnes ſui muneris partes, ac numeros inſigniter expleuit. Calamitosos omnes, atque afflitos, egentesque (quos filiorum loco paterna benevolentia complectabatur) humanitate, confilio, liberalitate perpetuo erexit, ac fouit. Hæc inter Monasticæ disciplinæ etiam in Episcopatu retinentiſſi-


Creatur  
Aprutinorū  
Episcopus.

Quo pacto in  
Episcopatu  
ſe geſſerit.

Hh                   mus,

Monasticæ  
disciplinæ in  
Episcop. Re-  
tinensis si-  
mus.

mus, accurati Cœnobitæ rigorem cum perfecti Antistitis solicitudine, ac vigilantia ad mortem usque indefessò studio copulauit: re ipsa testatus, quanti demum eam viuendi formulam æstimaret, quaque diligentia in Monasterio antea coluisse, cuius exercitationem, vel inter assiduas grauissimi muneris occupationes nunquam intermisit; quò grauius, ac turpius delinquere in religiosis septis appareat, qui suscepti instituti leges, nullius præterea obligationis onere impediti, remissè, oscitanterq; custodiunt; vel (quod adhuc deflendum magis) tædio, ac satietate suæ conditionis affecti, vt immunes, ac sui iuris, nullo monitore, ac præside licentius viuant, honestè in speciem elabendi è Claustro adi-  
tus, ac rimulas omnes intentissimè ob-  
seruant, & quacunque data porta,  
ad seculi mores, ac liber-  
tatem relabun-  
tur:-



CON-

## CONSTANTINVS AFER,

Monachus Casinas.

*Componendis ad virtutem moribus, librisq; conscribendis  
sedulo operam nauauit.*



Nsitam homini à natura descendit cupiditatem, nullis coerceri finibus, nulla rerum cognitione (quantumuis exquisita) sedari posse; Constantinus, inter omnes suæ ætatis longè doctissimus, diuturno usu, atque experientia intellexit. Carthagine in Patria philosophiæ studijs egregiè imbutus, cum exterorum gentium mores, ac disciplinas cognoscere percuperet, Platonem, aliosq; Philosophos imitatus longissimas peregrinationes suscepit. Ac primum Babylonem veniens, tandem illic substitit, quoad ab ipsis grammatices rudimentis factò initio, cetera Caldeorum, Arabum, Persarum, ac Saracenorum facultates omnes comprehendenderet. Tum ad Indos redintegrato descendit ardore profectus, in illorum etiam artes, ac studia pari alacritate incubuit. Mox Indicis disciplinis, quam opibus locupletior, in Aethiopiam contendit, non aliam itineris, laborumq; mercedem, quam ingenij culturam, & abditatum rerū cognitionē perquirens. Hic Aethiopicis disciplinis diù, feliciterq; nauata opera, decreuit adire Aegyptum, eiusq; gentis reconditas artes, & inuolutā compendiosis notis scribendi rationem inuestigare, ac

Discendi studio in remotissimas regiones peregrinatur.

perscrutari. Nullis igitur periculis, nullo labore perterritus ad Aegyptios penetrans, quod animo destinauerat, pertinacis studij contéctione est assequutus. Ita demū perceptis, omnium penè gentium linguis, ac disciplinis, peregrinādi modū faciens, anno trigesimonono, quām discesserat, Carthaginem regreditur. Verum conciues suos, quibus liberalium artium cūmulatisima laude abundās, admirationi esse debuerat, & summè charus, stimulante inuidia ( vti credere par est ) infensissimos hostes expertus est. Quo circa paratas sibi à suis insidias, ac necem declinans, consensa nauī ex Africa Salernum in Italiam traiecit. Porrò ex hac conciuium suorum malevolentia, capitaliq; odio, Constantini salus, ac vera felicitas exordiū traxit. Salerni ignotus inter ignotos cum degeret, in magna rerum egestate, atque inopia, à fratre Babylonij Regis, eodem cōmodum appulso recognitus, cum admirandæ eruditionis honestissima testificatione ( tanquam eius seculi prodigiū ) Roberto Duci impensè cōmendatur. Sed enim Constantinus ab humanissimo Principe oblata honorum spes, & præsentē fortunæ cōmodioris illecebram suauissimo Christi iugo, religiosæq; seruituti sapienter posthabuit. Quarè Desiderium Casinatis Collegij Moderatorem conueniens, ad sublimioris sapiētiæ professionem ( vti enixè flagitauerat ) peramanter admittitur. Eo in secessu, ex aliena voluntate, atq; arbitrio, vitæ suæ rationes temperans, ita degebat, vt ab quotidianis religiosi hominis functionibus, quod iupererat otij, id omnē Constantinus scriptioṇi, ac stylo impenderet. Quoniam verò medendi facultatem, diligentius in seculo tractauerat, ad hanc eandem disciplinā ingenio, ac

lite.

suorū ciuiū  
 insidias decili  
 nans in Ita-  
 liam traicit.  
 à fratre Ba-  
 bylonij Regis  
 agnitus, ac  
 cōmēdatos  
 salerni Duci.  
 Pit Monach.  
 Casinas.

## S. A D A L B E R T V S

Monachus Casinas

*Pragensis Episcopus, Pannonie, Poloniæq; & Apostolus Euangelijs  
prædicationem illustri martyrio consignauit.*



Dalbertus Libercæ Comitum in Boemia filius, & Pragensis Ecclesiæ Antistes, proprijs laudibus ; exploratæque sanctitatis ornamenti abundans , nec à nobilitate maiorū,nec à sacra Præfecturā magnopere commendari se velit: cum nobilem nasci, fortunę sit,neq; semper honorum insignia probatissimis virtute hominibus committantur. Adolescens cum nunquam Magdeburgensis Archiepiscopi à latere ( ad quem à Patre deductus fuerat, discederet) eius institutio- ne , ac monitis adeò profecit , vt abiecta fluxarum rerum cupiditate , monasticum institutum ætate prouectior suscepit . E Cœnobio postmodum ad Pragensem Cathe- dram euectus, maiore industria,quàm fructu solertis Epi- scopi munus,ac partes cùmulatissimè exequitur .Boemos adeò cum à feritate, rapinis, impia Dæmonum religione frustra deterrere conatus esset,in odiū , atq; offensionem multorum incurrit .Quamobrem pertæsus Boemicā per- tinaciā in retinendo vetere Idolorum cultu,auitisp; erro- ribus, Romam demigravit , vnde Pontificis Maximi per- missu Casinum se transferens, monasticæ vitæ exercita- tionem de integro complexus est,tanta animi alacritate, ac modestia , vt quicunque sodalitij præstantissimos inno- centia Patres aequabat , humilitatis tamen studio, & sui ipsius despicientia, religionis candidatus,ac planè tyro vi- diceretur .Tum aliquot post annis virtutibus longè conspe-

Creatur Pra-  
gensis Epi-  
scopus.

Romā , tum  
Casinum se  
transfert.

Hh i j Etior

Etior quām venerat, Casino Romam rediens, Leone Abate, rursus expoliendum cælestis Philosophiæ præcep-  
tis, ac veluti recōquendū se tradidit. Quo Duce, ac ma-

gistro quantum ad pristinam sanctitatem adiunxerit,  
quadriennio elapso, declaratum est: nā impetrato à Ro-  
mano Pontifice commeatu ad diuulgandum infidelibus  
Euangelium digressus, tentatis denuò Boemis an resipi-  
piscerent, sed irrito etiā tum conatu, ac labore, in Panno-  
niam peruenit. Vbi à Geisa Principe perhonorificè exce-  
ptus, eam gentē, in primisq; Stephanum ( qui postea eiul-

dem Regni administratione, & sanctissimis moribus flo-  
ruit ) annuo labore, ad Christianā Religionem adiunxit.  
Inde ad Sarmatas pergens, Russis, Lituanis, Moschis, sed  
principiū Polonis, eorumq; Regi Bolislao, eandē operam,  
quā Vngaris, eademq; exitus felicitate nauauit. Mox pro-  
pagandæ fidei acriore semper flāma incalescens, Prussia-  
nos adiijt, in quorum procuranda salute dum magna dif-  
ficultatum, laborumq; tolerantia versatur, instigantibus  
plebē sacrificulis Idolorū, ad stipitem alligatur, & crebro  
iaculorū coniectu ab impijs tranfossus gloria morte oc-  
cubuit. Cuius suprema vox gratijs Deo agēdis audita est,

Sagittis con-  
fusi Mar-  
tyr occubit.

pro accepto sacri martyrii beneficio: quo nimirum in vita  
nihil ardētius expetierat; vt omnibus exploratū esse possit  
Adalbertum, cū relicto Episcopatu ad religiosæ vitæ stu-  
dia in Casinate primum, deinde in Romano Cœnobio se  
retulit, nō laboris, ac periculi declinationē, sed longè gra-  
uiora discrimina, maioresq; difficultates animo cōcepisse;  
ad quæ magnanimo pectore adeunda, superandaq; sacris  
in claustris se p̄emuniret, vbi pro diuina gloria, plurimo-  
rūq; salute profūdēdi sanguinis p̄positū antea suscepisset.

CON-

literis exornandā, Præsidis sui permisso se contulit. Neq;  
maiore animi alacritate suscepsum est opus, quām inde-  
fessi studij felicissimo euentu perfectū. Quā obrē scripto-  
rum numero, varietate, præstantia, inter celeberrimos  
medicæ artis Corypheos, haud sānè postremo loco nume-  
ratur. Denique studiorum, scribendiq; laboribus ad ex-  
tremam senectutem perductis; religiosæ vitæ curriculū,  
placida, faciliq; morte consumptus absoluit. Ut autē Cō-  
stantinus ægra mortalium corpora ingenij sui lucubra-  
tionibus, sic vitæ exemplo imbecillos animos, veriq; igno-  
rantia laborantes, maiorem in modum adiuuit; quippè  
terrarum orbe magna ex parte peragrato, cognitisque  
omnium ferè gentium idiomatibus, nulla ex omni bona-  
rum artium numero non probe intellecta; dum talis, ac  
tantus vir, eo rerum usu, ea ætate, ac sapientia præditus,  
ad religiosæ vitæ portum se transfert: planè omnibus  
testatum facit, humanæ mentis tranquillitatem, quæ no-  
vis quotidiè regionibus adeundis, & inesplebili rerum  
cognitione, ac studio frustrà quæritur, in Monastico sta-  
tu facillimè reperiri: nec cuiquā Christianæ philosophiæ  
præceptis imbuto sapientis nomen conuenire, qui

non doctrinæ studium, ac literas ad supremi

Numinis gloriam, si que ipsius  
salutem referre  
didicerit.

De re medi-  
ca suis scrip-  
tis egregiè  
promeritus.

OLIBANVS COMES,

*Romualdi Sanctissimi Abbatis hortatu, spreto seculo  
in Casinate Monte cucullum  
induit.*



Ifi Olibanum Comitem præcipua nobilitate, magnisq; opibus apud Gallos clarissimum Sacris Heroibus intexam, magnopere mihi verendū est, ne illius populares iure se offensos existimant, ac mecum dolenter conquerantur. Quāquam mihi si maximè per omnes liceret, religionitamen duxerim de Olibano siluisse; cuius generoso in primis facinore, nobilium animi ad rerum despicientiam caducarum erigi possunt, ac vehementer confirmari. Erat in Olibani ditione D. Michaelis insigne Cœnobium, quo cum Romualdus ridigioris instituti, spectatæque virtutis opinione percelebris aliquando diuertisset, Olibano totius antè actæ vitæ noxas, per sacram confessionem exponenti nauauit operā; tum hominē sedulò hortatus est, vt, si rationibus suis rectè consultum vellet, monastici disciplinam (quæ illi placandi Numinis vnica spes, & æternæ salutis promerendæ remediū superesset) primo quoque tempore profiteretur. Hac adeò seuera denunciatione perterritus Comes, stupenti, atque attonito similis, quid ageret in rerum tam difficiili articulo constitutus, hærebat anceps. Durū videbatur, ac longè laboriosus

Olibanus  
Romualdo  
per sacram  
confessionē  
se aperit.

sius, quām vt ab animi sui virtute pērimbecilla superari  
 posse confideret, Clauſtri functiones, atque onera in re-  
 liquam vitam subire: at altera ex parte sanctissimo viro  
 in re omnium grauiſſima, vnde animæ ſalutis, batq; æter-  
 nitas penderet, tām ſerio monenti, non obtemperare,  
 hominis apparebat non improuidi ſolum, ſed extrema  
 penē dementia laboranti. Itaq; ſumpto ad deliberandum  
 ſpatio, rem totam ad Epifcopos, & Abbates, quos ea gra-  
 tia conuocauerat, defert: enixē obteſtatus, vti Romual-  
 di ſententiam accurate, diligenterq; excutiant, tum ve-  
 rō qnid ſibi opus factō arbitrētur, fidenter, ac liberē pro-  
 nuncient. Re in consultationem adduēta, inspectaq; di-  
 ligentifimē, vniuersi Antiftites ab Romualdi ſenu nec  
 latūm vnguem diſceſſere. Quare Olibanum commone-  
 faciunt, quæ de Religione ineūda venerabilis Pater ſua-  
 fiffet, eadem ſibi omnibus non modo ad ſalutem compa-  
 randam oportuna, ſed videri etiam planē neceſſaria: qui  
 ſeipſos antea illud idem ſenſiſſe, quamuis timore, ac ve-  
 recundia impediti, rem apud ſe in occulto habuiffent. Ita  
 Magnatū pleriq; omnes non aliundē grauius ſempiter-  
 na felicitate periclitantur, quām quōd iſpis deliquenti-  
 tibus licet impunē adulari ad exitium; neceſſaria īgere-  
 re monita ad ſalutem capitale eſt, vel certe periculi, atq;  
 aleæ pleniffimuſ. Iam verō ſacrorum Antiftitum ſen-  
 tentijs cū Romualdi oraculo planē consentientibus, Co-  
 mes adhibita fide, ſeculo renunciare constituerat. Ceterū  
 ne quid ſibi olim moleſtiæ, tricarumq; à ſuis creari poſſet,  
 domesticis rebus expediendis, componendisq; non nihil  
 temporis, ac diligentiaſ impendit. Tum omnibus ex ani-  
 mi ſententia perfectis in ampliſſimi Principatus poſſeſ-  
 ſio-

Religiosa vi-  
 ta Olibano  
 vniuersa ſalutis  
 ſpes propo-  
 nitur.

Antiftites cū  
 Romualdi ſe-  
 tentia con-  
 ueniunt.

Cū bona the  
sauri sui par-  
te Casinum  
proficiat

In Casinac  
Monte sit  
Monachus.

sionem adscito filio, ipse quindecim sarcinaria iumenta  
meliore thesauri sui parte onusta secum trahens, iter Ca-  
sinum versus intendit. Plures summæ nobilitatis amici  
Olibanum descedentem sequuti sunt, quorum ille hu-  
manitatē, atq; officiū itā admisit, vt nullā consilij sui par-  
tem cuiquam illorum impertiret. Quāobrem vbi Casinū  
attigere omnibus, qui sese dederant gratijs officiosissimè  
persolutis, discedendī potestatem facit, disertè professus,  
se quoad viueret, eo in secessu, vbi Religiosum institutū  
amplecti decreuerat, constantissimè permansurum: Ab-  
euntibus socijs, de repentina insperatæ deliberationis  
euentu admiratione defixis, Olibanus rem Cœnobij pre-  
tiosa supellectile, sodalium numerū seipso in cōmunem  
disciplinam tradito, cumulauit. Casini deinde ad extre-  
mū visq; spiritum in suscepto ordine perseverans, ea san-  
ctitate, ijsq; virtutum meritis enituit, quæ tam insignis,  
ac generosa animi deliberatio penè indubitanter spopō-  
derant. Certè quo pauciora ex historijs suppetunt, quo  
tidieq; rarius conspicuntur. Principum virorum exépla,  
qui ætate, ac viribus integri vltro diuitiarum cōmodis,  
imperandique suavitate se abdicent, hoc Olibani virtus  
præstantior, admirabiliorque videri debet, qui Re-  
ligionis ingressum (rem itā arduam) iubenti  
Romualdo, relictis opibus, Principatu,  
ac filijs, perfectissimè audien-  
tem se præbuit.

LAVS DEO BEATAEQ; VIRGINI MARIAE.

LEVITATUA AVHORUM.

Q2  
Q2  
Q2  
Q2

Y. Andea

Q2  
Q2

E L E N C H V S

ABBATVM SACRI CASINATIS.

M O N A S T E R I I .

S.P.	B	Enedictus	Abbas j.	25
o	B	S.Constantinus	Abbas ij.	29
S.	Simplicius	primus	Abbas iij.	29
S.	Vitalis		Abbas iv.	30
S.	Bonitus		Abbas v.	31
S.	Petronax		Abbas vi.	37
	Optatus		Abbas vij.	41
	Hemeris		Abbas viii.	45
	Gratianus	primus	Abbas ix.	42
	Tomichis		Abbas x.	42
	Poto		Abbas xi.	43
	Theodemarus		Abbas xii.	43
	Gisulfus		Abbas xiii.	44
S.	Apollinaris		Abbas xiv.	45
S.	Deusdedit		Abbas xv.	47
	Hildegicus		Abbas xvi.	49
	Auhpertus		Abbas xvii.	49
	Bassatius		Abbas xviii	50
S.	Bertharius		Abbas xviii.	51
	Angelarius		Abbas xx.	56
	Ragempbrandus		Abbas xxi.	57
	Leo		Abbas xxii.	57

Ii

S.Ioan;

# ELENCHVS ABBATVM

S. Joannes Primus	Abbas	Xxiij.	58
Adelpertus	Abbas	Xxiv.	59
Balduinus	Abbas	Xxv.	59
Maielpotus	Abbas	Xxvi.	60
Aligernus	Abbas	Xxvij.	60
Manso	Abbas	Xxviij.	63
Ioannes secundus	Abbas	Xxix.	64
Ioannes tertius	Abbas	Xxx.	67
Athenulfus	Abbas	Xxxi.	68
Theobaldus	Abbas	Xxxij.	70
Basilius	Abbas	Xxxij.	72
Richerius primus	Abbas	Xxxiv.	73
S. Petrus primus	Abbas	Xxxv.	74
Fridericus	Abbas	Xxxvj.	75
B. Desiderius	Abbas	Xxxvij.	78
B. Odorisius	Abbas	Xxxvij.	89
Otho	Abbas	Xxxix.	91
S. Bruno	Abbas	Xxxx.	92
Gerardus	Abbas	Xxxxi.	96
Odorisius secundus	Abbas	Xxxij.	97
Nicolaus	Abbas	Xxxxij.	98
Senioretus	Abbas	xLiiii.	98
Rainaldus primus	Abbas	xLv.	99
Guibaldus	Abbas	xLvi.	99
Rainaldus secundus	Abbas	xLvii.	103
Theodosius	Abbas	xLviii.	105
Aegidius	Abbas	xLviij.	106
Dominicus	Abbas	L.	106
Petrus secundus	Abbas	L.i.	107
Roffredus	Abbas	Lii.	108
		Pe.	

# ELENCHVS ABBATVM

Petrus tertius .	Abbas Liii.	110
Adenulfus	Abbas. Liv.	111
Stephanus primus	Abbas Lv.	112
Landulfus	Abbas Lvi.	113
Stephanus secundus	Abbas Lvii.	117
Richardus	Abbas Lvij.	118
Bernardus primus	Abbas Lix.	119
Thomas	Abbas Lx.	123
Pontius	Abbas Lxi.	125
Angelarius secundus	Abbas Lxij.	125
Bernardus secundus.	Abbas Lxij.	126
Bernardus tertius	Abbas Liv.	126
Galardus	Abbas Lxv.	127
Thomas secundus	Abbas Lxvj.	127
Marinus	Abbas Lxvij.	127
Isuardus	Abbas Lxvij.	128
Oddo Episcopus i.	Abbas Lix.	129
Raimundus Episcop. ii.	Abbas Lxx.	130
Guido Episcop iii.	Abbas Lxxi.	131
Richerius ij Episco iv.	Abbas Lxxij.	131
Stephanus iij. Episcop. v.	Abbas Lxxij.	132
